


7/0

Ma 66/
a

ELEMENTA
MEDICINAE PRACTICAE

TOMUS TERTIUS.



FRANCISCI BENE,

MED. DOCT. CONSILIARII REGII, PROFESSORIS P. O.

THERAPIE SPECIALIS AC PRAXIS MEDICAE ET SENIORIS FACULTATIS
MEDICAE IN REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA.

ELEMENTA

MEDICINAE PRACTICAE

E

PRAELECTIONIBUS ILLIUS PUBLICIS EDITA

PER

FRANCISCUM BENE

MED. DOCT.


TOMUS TERTIUS

CONTINENS

DOCTRINAM DE EXCRETIONIBUS MORBOSIS.

PESTIN. 1831.

SUMPTIBUS CONR. ADOLPHI HARTLEBEN.



FRANCISCI BENE,
MED. DOCT. CONSILIARIJ REGII, PROFESSORIS P. O.
THERAPIAE SPECIALIS AC PRAXIS MEDICAE ET BENIORIS FACULTATIS
MEDICAR IN REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA

ELEMENTA
MEDICINAE PRACTICAE

PRAELECTIONIBUS ILLIUS PUBLICIS EDITA

PER

FRANCISCUM BENE M.D.

MED. DOCT.

TOMUS TERTIUS

CONTINENS

DOCTRINAM DE EXCRETIONIBUS MORBOSIS.

PESTINI. 1834.

SUMPTIBUS CONR. ADOLPHI HARTLEBEN.

Typis Trattner-Károlyianis.

CONSPPECTUS
CONTENTORUM TOMI TERTIL.

Classis quarta morborum.

Excretiones morbosaæ.

Ordo I.

Profluvia.

De profluviis generatim	1
A. Profluvia cruenta	5
1. Haemorrhagia narium	10
2. Haemorrhagia oris	20
3. Pneumonorrhagia	30
4. Vomitus cruentus	42
5. Haemorrhoides	51
6. Haematuria	68
7. Uretorrhagia	73
8. Metrorrhagia	76
B. Profluvia liquidorum secretorum	
1. Ephidrosis	95
Profluvia tubi cibarii	
2. Ptyalismus	100
3. Ruminatio	105
4. Vomitus	107
5. Diarrhoea	120
6. Dysenteria	143
7. Cholera	147
8. Cholera Asiatica	152

Profluvia organorum uropositicorum et
genitalium.

9. Enuresis	201
10. Diabetes	207
11. Gonorrhœa	217
12. Leucorrhœa	225
13. Galactorrhœa	232

Ordo II.

Retentiones.

De retentionibus in genere	235
A. Retentiones cruentas:	
1. Retentio catamenialis	239
2. Retentio lochiorum	248
3. Retentio epistaxis	253
4. Retentio fluxus haemorrhoidalis	256
B. Retentiones liquidorum secretorum excernendorum:	
1. Retentio muci	259
2. Retentio sputi	262
3. Icterus	267
4. Retentio urinæ	284
5. Urolithiasis	297
6. Arthritis	312

CLASSIS QUARTA.

EXCRETIONES MORBOSAE.

PROFLUVIA.

§. 1.

Profluvia vocantur a Sauvages *Fluxus*, a Linneo *Morbi evacuatorii*, a Cullen et Swediauer *Apocenoses*, comprehenduntque illos morbos, quorum symptoma praecipuum constituit liquidi cuiusdam effusio extra sua receptacula aut in partem corporis externam, aut in aliquam partem internam, quantitate, tempore, et loco insolitis ita, ut per tales evacuationes status sanus organismi vivi plus minusvo perturbetur.

§. 2.

Ut profluvium morbosum cognoscere valeamus, attemdimus:

1mo. Ad naturam liquidorum evacuatorum, quo respectu distinguuntur profluvia in cruenta seu haemorrhagias, et in profluvia liquidorum secretorum.

2do. Ad quantitatem, quae saepe est minima ita, ut evacuatio tantum guttatum contingat; saepe quantitate nimia profunditur liquidum.

3to. Ad locum, in quo contingit; dantur profluvia externa, dum liquidum extra organismum profunditur, et interna, dum liquidum effunditur in cava corporis majora vel minora.

4to. Ad qualitates liquidi evacuati; saepe retinet omnes characteres, quibus gaudet in statu normali, saepe abha-

eteres illius mutantur relate ad consistentiam, pelluciditatem, colorem, odorem et partes constitutivas.

5to. Ad durationem, quo respectu profluvia distinguuntur acutissima, acuta, chronica, recentia, inveterata, habitualia.

6to. Ad typum, subinde sunt profluvia continua continentia, saepius remittentia, non raro intermittentia, typo jam regulari, jam irregulari.

7mo. Ad numerum aegrorum et causam communem sunt profluvia sporadica, pandemica, endemica et epidemica.

8vo. Ad effectum, quem in organismo exerunt, aliqua profluvia sunt critica ita, ut levamen et decrementum morbi alterius subsequatur; saepe sunt symptomatica, nullum levamen adferunt, imo morbum adaugent; non raro per profluvia massa corporis consumitur, energia vitalis notabiliter imminuitur; tunc vocantur profluvia colliquativa.

§. 3.

Differentiae huc usque enumeratae in singulo casu adnotari debent, quia naturam morbi individualem illustrant; ad diagnosis tamen claram non sufficiunt, nisi momenta nosogenitica exquisita fuerint.

Dispositionem ad profluvia habent omnes homines, non omni aetate, sexu et constitutione observamus profluvia; aliqui tamen dispositione eminentiori ad speciem unam profluvii praediti sunt, quae dispositio non raro a parentibus in soboles propagatur haereditate, subinde per influxus diversos in utero matris evolvitur, saepe post nativitatem primo acquiritur. Aetas tenera infantilis et puerilis, liquidis abundans, vasis plurimis et receptaculis cunctis tenerioribus instructa, in profluvia omnia magis prona est, in primis frequenter observamus vomitus, diarrhoeas, catarrhos, enuresim, et haemorrhagias; post pubertatem aetate juvenili ac virili in sexu utroque praedominans est dispositio ad profluvia genitalium; aetate senili dispositio ad profluvia est minima, nam partes solidas corrugantur,

vasa minima obliterantur, liquida minori quantitate et spissiora secernuntur.

Dispositione tali praesente excitantur profluvia per diversas causas, quae in organismo varias mutationes provocant, causam proximam profluviorum constituentes. Multa profluvia excitantur per actionem potentiarum nocentium mechanicarum et chemicarum, quibus vasa et receptacula liquorum vulnerantur, lacerantur aut corroduntur; sed longe frequenter sine tali laesione mechanica et chemica excitantur profluvia per statum abnormem energiae vitalis in partibus tam solidis, quam fluidis, et tunc contingit profluvium quod vocatur activum, asthenicum, hyperasthenicum, energicum, inflammatorium; tale locum habet in robustis, aetate juvenili ac virili, post actionem causarum stimulantium, ut per aerem atmosphaericum valde siccum, purum, montosum, oxygenio et electricitate magis abundantem, frigore vel calore excessivo vel constitutione peculiari epidemica praeditum; vel per nutrimenta et potulenta stimulantia, valde nutrientia, venena, motus corporis excessivos, animi affectus violentos, vestimenta constringentia, et sic motum liquidorum impeditia, per liquidorum in primis sanguinis quantitatem excessivam, per evacuationum habitualium suppressionem. Nec tamen profluvia omnia charactere tali energico praedicta sunt, non raro illa provocantur et sustentantur per statum asthenicum, ut in hominibus debilibus et etiam robustioribus, sed potentibus debilitantibus expositis, uti sunt aer humidus, corruptus, paludosus, defectus alimentorum et potulentorum, vel eadem corrupta, labores excessivi corporis et mentis, animi affectus tristes, ut metus, terror, evacuationes qualescunque nimiae; atque profluvia haec asthenica pro diverso statu individuali aegri, ac diversitate potentiarum nocentium erunt vel erethistica, vel torpida.

§. 4.

Profluvia per causas enumeratas, jam per unicam, jam per plures concurrentes provocata sunt saepe simplicia,

saepe cum aliis morbis complicata, quae cuncta eruere debemus, ut sententiam probabilem de duratione et exitu morbi ferre valeamus. Saepa profluvia per breve tempus durant, potentissimis nocentibus remotis sponte in sanitatem abeunt; non raro, dum excessiva sunt, brevissimo tempore acrum enecant; saepa neglecta aut perverse tractata chronica evadunt, atque integratatem organismi vario modo laedunt; ita per profluvia inducuntur emaciations, pallores, oedemata, hydroper, debilitates sensuum in- et exter- norum, febris hectica et mors; quae prognosis modificalatur per actatem, constitutionem individualem aegri, durationem, intensitatem, complicationem profluvi et qualitatem liquidi evacuati. Ita in genere caeteris paribus profluvia serosa minns periculi adferunt, plus profluvia mucosa, maxime profluvia sanguinis et succi genitalis; quae tamen pericula therapia rationalis in plurimis casibus feliciter removet.

§. 5.

Indicationem curae primam desumimus a causis excitantibus, his remotis a charactere dynamico profluvi; quia hic saepe energicus est, methodus antiphlogistica saepe maxima cum sanguinis evacuationibus universalibus et rapidis necessaria est, saepe tamen mitior methodus antiphlogistica jam scopo satisfacit. Charactere autem profluvi asthenico praesente, distinguimus, debilitas illa sitne connexa cum sensibilitate et irritabilitate morbo exaltatis, quae sustentatur non raro per statum abnormem vasorum sanguiferorum et sanguinis ipsius; tunc acida vegetabilia, mineralia, digitalis purpurea, ipecacuanha dosi refracta sunt saepe maxime indicata; dum autem hypercinesia sustentatur per statum abnormem systematis nervosi, tunc narcotica efficaciam majorem exerunt. Statu asthenico torpido praesente, remedia stimulantia, aromatica, aetherea, balsamica, tonica adstringentia adhibere debemus, saepo etiam auxiliis mechanicis in usum vocatis. Ut pro singulo

easu remedia maxime congrua seligere possimus, naturam singulorum profluviorum exactius examinare debemus.

H A E M O R R H A G I A E.

§. 6.

Haemorrhagia seu profluxum cruentum, dicitur sanguinis effluxus e vasis suis tempore, loco, et quantitate insolitis jam extra corpus, jam vero in cavum aliquod corporis, per quam evacuationem sanitas organismi laeditur.

C. G. Krause, Abhandlung von den Blutflüssen und ihrer Behandlung, Leipzig, 1783.

C. J. Meyer, systematisches Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Blutflüsse, für Aerzte und Wundärzte, Wien, 1804.

G. A. Spangenberg, über die Blutflüsse, in medizinischer Hinsicht, Braunschweig, 1805.

J. B. Wollkopf, Untersuchung über die Erscheinung, Bildung und Heilung des Blutflusses, Leipzig, 1805.

J. Lordat, traité des hémorrhagies, Paris, 1808.

Latour, histoire philosophique et médicale des hémorrhagies, Paris, 1828.

§. 7.

Saepe haemorrhagia subito ingruit, dum per causas vehementes statum paralyticum inducere valentes excitatur; saepe saepius tamen observantur prodroma, e quibus cum probabilitate magna praedicimus haemorrhagiam futuram; symptomata haec se manifestant in toto organismo per circulationem sanguinis abnormem, per horripilationem, frigus, calorem, saepe fugacem cum pulsu arteriarum frequentiori, saepe molli dicroto, cum rubore cutis, inprimis genarum majori, cordis palpitatione, anxietate, inquietudine, capitis gravitate, dolore, somno inquieto; quae symptomata per vices remittunt, cessant, iterum revertuntur, dicitur *orgasmus sanguinis*. In parte ipsa, in qua

haemorrhagia probabilius futura est, observantur symptomata congestionis sanguinis auctae; pars illa magis target, rubet, tenditur, calet, subinde prurit; saepe persentitur in parte illa pulsatio arteriarum minimarum; subinde propter compressionem nervorum a sanguine congesto, sensibilitas partis imminuitur, et species status paralytici minoris inducit; subinde per sanguinem congestum nervi partis illius potius irritantur, atque sic dolores et convulsiones excitantur.

Prodroma haec per horas paucas, subinde dies plures, septimanas, imo menses perdurant, donec profluvium ipsum cruentum contingit, e diversis partibus corporis, ut e naribus (haemorrhagia narium vel opistaxis), e cavo oris (sputum cruentum vel stomorrhagia), e trachea, bronchiis ac pulmonibus per tussim (tussis cruenta, haemoptoe, pneumonorrhagia), e ventriculo (vomitus cruentus, haematemesis), e tubo intestinali, in primis e vasis intestini recti (haemorrhoides), ex organis uropoeticis, renibus, ureteribus et vesica urinaria (mictus cruentus, haematuria), ex urethra (urethrorrhagia), ex utero (haemorrhagia uteri vel metrorrhagia).

§. 8.

Sub ipso profluvio attentionem nostram dirigimus in symptomata concomitantia; non raro profluvio locum habente prodroma omnia molesta disparent, saepe symptomata illa augentur potius et nova evolvuntur; pulsus redundunt frequentiores, calor intensior, inquietudo major, capitis gravitas accusantur; quibus accedunt cordis palpitaciones, anxietas, sensuum obfuscationes, cutis, in primis faciei pallor, extremitatum frigus, nausea, vomituritio, subinde vomitus; in fronte et collo erumpit sudor frigidus, et aeger incidit in animi deliquium, nonnunquam etiam convellitur. Subinde symptomata haec terrifica provocantur per metum ac terorem, quo aeger sanguine evacuato observato corripitur,

sed saepe sine metu evacuatio sanguinis quantitate excedens phaenomena enumerata inducit; ideo ad diagnosim rectam construendam quantitas sanguinis evacuati, saltem probabilis, definiri debet. Subinde contingit evacuatio parva quantitate per guttas, dicitur stillicidium sanguinis; saepe rivo continuo, minori, vel majori profluit, tunc dicitur profluviu m cruentum vel haemorrhagia. Dum profluviu m lente perficitur, tunc quantitas etiam major sanguinis evacuari potest, quin observentur symptomata peculiaria, sed dum intra breve tempus quantitas nimia evacuatur, ad libras duas, tresve, tunc symptomata debilitatis magnae comparent. Non raro accedit, ut quantitas sanguinis evacuati conspicua sit exigua, et tamen symptomata debilitatis nimiae compareant, non a metu, sed ab ipso profluvio excessivo, quod locum habet in cava interna; talem haemorrhagiam observamus subinde in gravidis ac puerperis in cavum uteri; subinde in cavo crani, pectoris et abdominis detegimus in cadaveribus sanguinem effusum.

Attentionem dirigimus etiam in qualitatem sanguinis evacuati, sit-ne sanguis dilute ruber, floridus, spumescens, qualis arteriosus esse solet; sit-ne atro-ruber, spissus, venosus; coaguletur-ne sanguis evacuatus et in vase collectus cito, vel resolutus maneat; sit-ne peracta coagulatione placenta magna, dura, vel parva, mollis, friabilis, in superficie crusta lardacea, crassa, densa, vel tenui, mucosa aut nulla obiecta, circumdata sero paucio vel copioso, coloris peculiaris flavescentis, vel virescentis. Ex his enim momentis concludimus etiam ad statum vitalis sanguinis, ad statum dynamicum cordis et vasorum haematophororum. Attendimus etiam ad modum, quo evacuatio sanguinis contingit, rivo-ne pleno aequabili, nec aucto, nec imminuto, ut solet accidere, dum vena laeditur; vel profluat-ne per vices cum celeritate minori et iterum majori, et respondeat-ne celeritas motui cordis et arteriarum, quo in casu summe probabile redditur, evacuationem sanguinis contingere ex arteria.

§. 9.

Momenta diagnostica sedulo collecta et inter se combinata naturam individualem haemorrhagiae plurimum illustrant, nec tamen sufficiunt, nisi momenta nosogenetica simul definita fuerint. Dispositionem quidem generalem ad profluvium cruentum habent omnes homines, nam post actionem potentiarum nocentium vehementiorum in omni homine producitur haemorrhagia. Aliqui tamen homines, quorum systema vasorum haematophororum prae cæteris magis evolutum est, qui temperamento sic dicto sanguineo gaudent, dispositionem peculiarem habent in omnem haemorrhagiam; licet ea in omni parte corporis vasis sanguiferis instructa observetur, frequentior tamen est in partibus, quae vasa haematophora majori copia et superficialia habent; ideo in membrana mucosa cavi narum, faucium, tracheae et bronchiorum, ventriculi, tubi intestinalis, uteri, vaginae, et organorum uropoeticorum frequentiores sunt haemorrhagiae, quae rarius occurunt in membranis serosis peritonaei, pericardiis, plenae et arachnoideae, adhuc rarius in ipso parenchymate viscerum diversorum. Aliqui homines instructi sunt dispositione specifica ad unam speciem haemorrhagiae, non raro haereditate a parentibus in proles propagata, vel in utero matris evoluta, saepe habitu externo, fabrica corporis peculiari sese annunciant; saepe dispositio peculiaris se manifestat sub evolutione corporis ulteriori sub diversis vitae periodis; ita jam Hippocrates adnotavit et observationes quotidianaæ comprobant, aetate tenera, infantili ac puerili, maximam esse dispositionem in epistaxim, quia per processum organicum in evolutionem dentium impensum tota illa aetate prima congestio sanguinis major sustentatur versus caput; aetate adolescentiae, et juvenili animi affectus sunt vehementiores, sanguis majori quantitate congeritur in viscera cavi pectoris, ideo dispositio major est in pneumonorrhagiam; aetate virili provectione sanguis majori quantitate congeritur in cavo abdominis, ideo facilius haemorrhoides com-

parent; in senectute congestio sanguinis major observatur ad cerebrum, ideo facilis provocatur haemorrhagia cerebralis, seu apoplexia sanguinea. Modificatur dispositio per sexum; viri frequentius laborant haemorrhoidibus et haematuria, in quarum vices sexus sequior exponitur metrorrhagiis.

Praesente dispositione excitantur haemorrhagiae post influxus diversarum potentiarum, partim mechanicarum, ut sunt vulnera, partim chemicarum, ut sunt acria corrodentia diversis partibus organismi applicita; praeterea provocantur per aërem atmosphaericum excessive calidum, vel excessive frigidum, motum ejus vehementem, pressionem valde imminutam, quemadmodum experiuntur, qui cuminum montium altissimorum condescendunt, et qui globo aërostatico in altum elevantur; subinde per constitutionem atmosphaerae peculiarem haemorrhagiae epidemicæ observatae sunt. Excitantur eaedem per ingesta alimenta valde acria, potulenta spirituosa, pharmaca emetica, purgantia drastica, venena, in primis acria, sed etiam narcotica, per motum corporis vehementem, vestimenta partem aliquam corporis nimis constringentia, animi affectus effrenes, per profluvia alia ipsa cruenta habitualia suppressa, per morbos alias, jam symptomatice, jam sympathice, jam antagonistice.

§. 10.

Postquam in singulo casu individuali symptomatibus collectis causam praedisponentem et excitantem eruimus, conamur etiam causam proximam haemorrhagiae cognoscere. Haec minime eadem in omni haemorrhagia, pro diversa constitutione individuali aegri et pro diversitate causarum nocentium variat. Non raro inducitur in arteria vel vena solutio continui, dicitur diaeresis, et talis haemorrhagia traumatica provocatur per vulnera diversa. Subinde solutio illa contingit per rupturam, sub contusione externa, motu corporis violento, nixu, vomitu, risu, sternutatione, vocis intensione nimia, et vocatur rhexis. Sub-

inde solutio continui vasis haematophori inducitur per erosionem a causticis, ab ichore acri in ulcere phagedaenico, cancroso, dicitur diabrosis. Rhexes et diabroses negari non possunt, quia per investigationes anatomico-pathologicas demonstratae sunt; in genere tamen rariores sunt causae haemorrhagiarum, nam vasa haematophora ob fabricam suam densam potentibus din resistunt, nec facile in illis ruptura vel corrosio locum habet, nisi membranae vasorum jam longiori tempore in statu morbo-so constitutae, forte in aneurysmate vel varice valde dilatatae, attenuatae, degeneratae, materia steatomatosa ob- sessae sint; secus haemorrhagiae plurimae, exceptis trau-maticis, excitantur sine vitio organico tantum per se-cretionem morbosam, quae perficitur per vasa sanguife-ra minima capillaria, quam medici olim docuerunt perfici partim per dilatationem nimiam ostiorum venarum, et ar-teriarum (haemorrhagia per anastomosim), partim per dilatationem morbosam pororum lateralium va-sorum sanguiferorum, ut sanguis quasi per cribrum trans- sudaret (haemorrhagia per dia pedes im). Post-quam per conatus cel. Haller energia vitae, in primis autem irritabilitas magis cognita fuit, et natura haemorrhagiarum clarior reddit a. Secretio pathologica cruenta haemorrhagiarum causa proxima frequentissima est triplicis naturae; saepe irritabilitas cordis et vasorum morbose exal-tata est ita, ut activitas vitae tota morbose energica sit; tunc producitur haemorrhagia activa, sthenica, hypersthenica, energica cum charactere synochae, etiam inflammatoria, quia in ipso sanguine evacuato observantur praesentes characteres status phlogistici. Talis haemorrhagia enascitur in illis, qui diathesi sthenica, in-flammatoria praediti sunt, frequentissime in juvenibus et viris, non raro et in pueris, et senibus, in robustis, ple-thorici temperamento sanguineo praeditis, post actionem causarum stimulantium ut aëris sicci, excessive calidi vel frigidi, vehementer commoti, constitutione peculiari in-flammatoria insigiti, post cibos irritantes, potus spiri-

tuosos, pharmaca stimulantia, venena acria, et narcotica, motum corporis vehementem, animi affectus excitantes, ut gaudium magnum, frequentius iram, post evacuationes habituales, in primis cruentas suppressas; atque symptomata cuncta post actionem causarum enumeratarum praecedentia, et concomitantia, non secus ac effectus remediorum stimulantium, roborantium, forte ad haemorrhagiam sistendam adhibitorum confirming statum energiae vitae morbose exaltatae. Secundum Broussais haemorrhagiae omnes charactere tali inflammatorio insignitae sunt; minime dubitamus in Gallia, cujus cives plurimi temperamento sanguineo gaudent, cibis irritantibus et potibus spirituosis majori copia utuntur, animi affectibus continuo exagitantur, morbos plurimos, ac proinde etiam haemorrhagias characterem phlogisticum habere, ideo jam Pinel haemorrhagias retulit ad phlegmasias; interim observationes ad lectos aegrorum nos convincunt, haemorrhagias multas, etiam si sub exordio characterem energeticum exhibuerint, citius vel tardius evadere asthenicas, a debilitate sustentatas; tales haemorrhagiae passivae, asthenicae duplices distinguuntur; saepe cum debilitate vera juncta est irritabilitas morbose exaltata cordis et arteriarum, se manifestans per pulsum frequentem, calores fugaces, excitanturque tales haemorrhagiae in subjectis teneris, debilibus, hypercinesia hysterica vel hypochondriaca affectis, post animi affectus tristes, evacuationes nimias, in mulieribus post galactirhoeam, in viris post gonorrhoeam, vocanturque tales haemorrhagiae spasmodicae, nervosae, asthenicae cum erethismo, vel haemorrhagiae cum charactere typhi, ut discernantur a haemorrhagiis, quae per debilitatem veram cum torpore nexam producuntur, ubi et sensibilitas et irritabilitas cordis et arteriarum valde imminuta est; talis evadit haemorrhagia omnis excessiva, talis producitur per scorbutum et febrem putridam, vocaturque haemorrhagia asthenica torpida vel cum charactere paralysis.

§. 11.

Praeter differentias essentiales indicatas in omni haemorrhagia adnotamus, sit-ne sporadica, endemica vel epidemicā, continua, remittens vel intermittens, acuta vel chronica, recens vel inveterata, habitualis. Ex momentis omnibus nosographicis et nosogeneticis inter se combinatis, cum probabilitate jam majori, jam minori definitius influxum, quem haemorrhagia exerit in organismum, et existum ejus.

Non raro haemorrhagiae sunt salutares, criticae, per quas status morbosus alter in organismo existens imminentur, ex integro tollitur; quemadmodum observationes docent in febribus energicis et inflammationibus topicis; in ipsis nervosibus, non raro dolores, spasmi, paralyses, venaniae, haemorrhagiis per autocratiam naturae productis dissipantur. Nec tamen semper ita salutares sunt haemorrhagiae; profusae vel diu durantes inducunt debilitatem, aut subito nimiam, aut chronicam. Post sanguinis profusione nimiam exoritur pallor cutis nimius cadaverosus, turgore vitali disparente collabuntur genae, corpus universum, in primis extremitates evadunt frigidae, nausea, vomitatio, vomitus locum habent, sensus externi, in primis visus et auditus obfuscantur, aeger vertigine corripitur, ob debilitatem nimiam muscularum se sustentare non valet, vox est debilis, conscientia sui cessat, pulsus vix perceptibilis est, animi deliquium contingit, cessat etiam respiratio, sic aeger incidit in asphyxiā, quae subinde transit in mortem veram. Per haemorrhagiam minus profusam, sed diutius continuatam aut saepius repetitam inducitur debilitas chronicā, et pro diversa constitutione individuali et diverso influxu potentiarum nocentium evolvuntur variis status morbosī, ut dyspepsia, dyspnoea, tussis, cordis palpitationes, sensuum extēnorū debilitates chronicāe, memoriae labefactatio, mentis imbecillitas, chlorosis, blennorrhœa, tabes, hydrops, et febris hectica.

Minime omnes haemorrhagiae tam tristes exitus nanciscuntur, saepe illae per autoeratiam naturae solam feliciter sanantur, ita in haemorrhagiis traumaticis vulnus parvum arteriarum per solam contractilitatem auctam clauditur; per haemorrhagiam ipsam majorem irritabilitas cordis imminuitur, et novi sanguinis affluxus impeditur; ipse sanguis in vulnere collectus coagulatur, e fibrina formatur thrombus vas sanguiferum obstruens, sicque haemorrhagia cessat. Vitio organico nullo praesente, haemorrhagia dynamica sistitur partim eo, quod aeger in animi deliquium incidat, et quod per evacuationem sanguinis jam irritabilitas vasorum sanguiferorum morbose exaltata sufficienter imminuta sit. Interim autocratia naturae sibi reicta saepe saepius haud sufficit ad haemorrhagiam sanandam, sed profluvinum cruentum continuat, vel silens etiam aliquo tempore iterum revertit, et sic conjicit organismum in statum periculosum aut per debilitatem, aut sustentando in parte affecta congestionem sanguinis majorem producit inflammatio chronica per exitus suos, ut suppurationem, saepe fatalis. Unde patet, haemorrhagias in genere pertinere ad morbos periculosos. Ut in easu singulo individuali prognosim cum probabilitate pronunciare valeamus, momenta plura, quantitatem sanguinis evacuati et tempus, quo evakuatio illa contigit, locum et partem organismi, in quo haemorrhagia locum habuit, considerare debemus. In genere haemorrhagia externa minus periculosa est, quam interna, epistaxis minus, quam pneumonorrhagia, venosa minus quam arteriosa. Quod ad constitutionem individualem aegri attinet, quo sanior aeger antea fuit, eo laetior est prognosis, ideo aetate virili haemorrhagia est minime timenda, aetatem teneram et senilem longe facilius in debilitatem magnam conjicit, cum illa differentia, quod in aetate tenere sanguinis amissi restauratio cito persiciatur. Reflectendum est in causas haemorrhagiam et producentes, et sustentantes; si haemorrhagia fuerit evoluta post dispositionem hereditate acquisitam vel congenitam, tunc prognosis est tristis; si fuerit exorta post rupturam arteriae aneurysmaticae, vel

venae varicosae, vel per erosionem ope ichoris in partibus internis, tunc prognosis est summe fatalis. Respiciens characterem dynamicum haemorrhagiae, quo energico praesente periculum est minus; auget illud character asthenicus erethisticus, longe magis adhuc character torpidus, qualis in haemorrhagia post apoplexiā, febrim cum charactere septico, et scorbutum locum habet. Tandein prognosis determinatur etiam per therapiam aegro administratam, per hanc enim rationalem mature susceptam aeger frequentissime periculis eripi potest.

§. 12.

In haemorrhagia omni commendamus aegro summam quietem corporis et animi, quae ad motum sanguinis moderatum reddendum summe necessaria est, per quamcunque causam, cuiuscunque characteris provocata fuerit haemorrhagia; ideo aegros inquietos, pueros etiam vi externa adhibita in statu pacato conservare debemus. Eodein tempore, quo quietis observationem injungimus, vestimenta cuncta forte partem aliquam corporis constringentia relaxamus, ne congestio sanguinis major in aliquam partem sustentetur; excipimus cito historiam morbi, ex narratione et ex symptomatibus simul attenta mente collectis, determinamus, haemorrhagia praesens sit-ne aegro salutaris, critica, tunc ad illam suppressandam nihil molimur, potius ea, quae crism impedire possent, removemus, et tantum attendimus, ne profluvium nimium evadat. Charactere tali critico haud observato, therapia necessaria est.

Indicationem curae primam desumimus a causis excitantibus forte adhuc praesentibus; ita in haemorrhagia traumatica instrumentum laedens, solutionem continui inducens extrahimus; postea adhibemus remedia pro sistenda haemorrhagia, styptica dicta, quae partim exaltant contractilitatem vasorum sanguiferorum, partim promovent coagulationem sanguinis, et sic genesim thrombi; talia sunt: aqua frigida, nix, glacies, per quae haemorrhagiae graves post vulnera, et amputationes felicissime sistuntur; aqua haud

sufficiente addimus acetum — dicitur oxyeratum, vel succum citri, acida mineralia aqua diluta; herbis aromaticis, quibus infunditur jam acetum, jam vinum, jam spiritus vi- ni, sieque parantur aquae vulnerariae cum acetato, et cum vino; adhibentur eodem scopo solutiones aluminis, plumbi, zinci, cupri, martis, tinctura e catechu, vel gummi kino, vel ratanhia; subinde in usum vocantur decocta adstrin- gentia e cortice quercus, salicis, hippocastani, radicis tor- mentillae parata. In haemorrhagia e vasis minoribus saepo blandiora remedia sufficiunt, ut tela aranearum vel pulvis gummi arabici, gummi tragacanthae, amyolum, gypsi, qui ope lintei carpti partibus vulneratis applicantur et cum san- guine coagulato pastam firmorem efformant; in haemor- rhagia tamen majori pressio simul adhibenda est, quae optime perficitur digito, cui substituimus spongiam praeparatam pressam, subinde compressas graduatas, quibus cor- pus darius, forte moneta metallica interponitur, et ope fa- sciae moderate constringitur; subinde ad haemorrhagiam profusam sistendam e ramo arteriae pressio ope fasciae, *tourniquet* dictae, institui debet, quae tamen diu continuari non potest; subinde contorsio vasis haematophori, saepius deligatio arteriae vulneratae votis satisficit.

§. 13.

Dum haemorrhagia sine solutione continui tantum per secretionem pathologicam sanguinis producitur, causas ex- citantes nedum silentes removere conamus; ideo motui corporis vehementi opponimus quietem summam, animi af- fectum compescimus, saburram, vermes e tubo intestinali evacuamus, profluvium aliud suppressum restituimus, fe- brim putridam vel scorbutum, vel inflammationem topicalam, vel alium morbum, cuius symptoma haemorrhagia consti- tuit, therapia per naturam individualem morbi indicata im- pugnamus.

Causis excitantibus remotis aut iis cito hand removen- dis, ne per haemorrhagiam profusam organismus ener- vetur, indicationem curae dirigimus secundum indolem

status dynamico-organici, causam proximam haemorrhagiae constituentis. In multis easibus, saltem sub exordio, saepe longiori etiam tempore, per septimanas et menses, character haemorrhagiae est sthenicus, energeticus, per conditionem phlogistica sanguinis, per energiam morbose exaltatam cordis ac vasorum haematophororum sustentatur haemorrhagia, et tunc methodus antiphlogistica est maxime indicata, quies corporis et animi, temperatura externa, potius frigidiuscula (6–10 graduum therm. Reaum.), praeterea potus aquae frigidae, qua calor et sitis molesti temperantur, et irritabilitas morbose exaltata cordis et arteriarum multum imminuit; quibus aqua non sufficit, prescribimus decocta emollientia, hordei, avenae, althaeae, salep, vel solvimus gummi arabicum in aqua, vel commendamus emulsiones tenues e seminibus cucumerum, peponum, curcurbitarum, cannabis, amygdalarum dulcium; saepe aquae et decoctis emollientibus addimus sucum citri, acetum, vel solum vel nelle junctum, nomine oxymellis, vel saccharum, infusum liquoritiae vel succum liquoritiae inspissatum. His haud sufficientibus recurrimus ad sales medios, quorum virtus antiphlogistica temperans observationibus multis probata est; hoc scopo in primis convenit nitrum, vel solum, vel subinde cum cremore tartari junctum; non raro utiliter adhibentur sal communis, sal mirabilis Glauberi, sal amarus, arcanum duplicatum, dummodo haemorrhagia non habet locum in tubo alimentari, vel in organis uropoeticis, sed in aliis partibus organismi, ut in epistaxi et pneumorrhagia accidit; tunc sales laudati virtute etiam antagonistica tubum alimentarem irritando, et sic irritationem in aliis partibus imminuendo, ad scopum deducunt; eadem ratione proficia sunt tartarus emeticus dosi refracta, et subinde calomela.

Neque tamen contra haemorrhagias charactere inflammatory intensoe praeditas sufficiunt remedia illa antiphlogistica mitiora, sed methodus strictior necessaria est, ipsa sanguinis evacuatio artificialis, non raro universalis, etiam repetita, saepius topica, hirudinum aut curcurbitularum

critentiarum ope , per quas evacuationes justo tempore , justa dosi institutas , impeditus recidivas haemorrhagiuarum , et exitus funestos in inflammations chronicas , suppurations , et phthises. Methodus haec antiphlogistica , a medicis observatoribus omni aeo laudata , sub fine saeculi XVIII. et initio XIX. per medicos theoriae incitabilitatis Brunonis coeces adhaerentes in perniciem aegrorum valde neglecta fuit , et nec satis laudandi sunt conatus auctoris scholae Gallicaes Physiologicae in describendis erroribus crassis per medicos commissis. Interim ipse vir egregius , zelo suo abreptus , justos limites transgressus est , docendo omnem haemorrhagiam esse inflammatoriam , et ideo semper sola methodo antiphlogistica sanandam ; observationes enim fidae ad lectos aegrorum nos convincunt , multas haemorrhagias hac methodo increscere , imo letales evadere , methodo vero roborante , caute adhibita , multas feliciter sanari.

§. 14.

Natura haemorrhagiae asthenica praesente determinare debemus , debilitas sit-ne cum irritabilitate morbose exaltata nexa ; tunc remedia hypererethismam imminuere valentia indicata sunt , ut quies corporis et animi , aqua frigida interne et externe adhibenda , acida mineralia , ut nitri , salis , phosphori , vitrioli , liqnor acidus Halleri , acidum muriaticum oxygenatum seu chlorium ; ex his frequentissime praescribimus acidum vitrioli dilutum ad drachmam unam , vel liquoris acidi Halleri guttas 30 in libra una aquae vel decocti emollientis , ut aeger omni hora vel omni bihorio uno , vel duobus cochlearibus ordinariis , vel medio vaseculo coffeaceo sumat.

Licet acida in multis haemorrhagiis curandis efficaciam magnam exerant , non tamen prosunt in omnibus ; quia non raro hypercinesia haemorrhagiam sustentans dependet a statu abnormi partis alicujus systematis nervosi non inflammatorio , sed cuius symptoma est sensibilitas morbose exaltata , atque hoc in casu narcotica sunt indicata , ut extra-

ctum hyoseyami, cicutae, aconiti, acidum hydrocyanicum, aqua laurocerasi, digitalis purpurea, in primis opium, jani solum, jam cum ipecacuanha, jam cum acidis mineralibus junctum.

Saepe occurunt haemorrhagiae, in quibus energia vitae nec est notabiliter exaltata, nec immunita, sed haud aequabiliter distributa, quemadmodum requiritur ad statum sanitatis; adeo error loci dynamicus, in quo casu proficia sunt antagonistica, quae unam partem irritando congestio- nem in alias immittunt; ita prosunt ipecacuanha frequentius dosi refracta, subinde etiam tartarus emeticus, non raro sal communis, et sal amarus, e quibus duobus exhibemus uno cochlearculo coasseaceo, omni media hora, donec haemorrhagia profusa cessat; eadem ratione utilitatem praestant purgantia salina, diathesi inflammatoria absente, etiam rheum, folia sennae, vel in infuso, vel in electuariu lenitive adhibita; frequentius adhuc ob virtutem antagonisticam salutarem adhibemus adspersionem vel perfusionem aegri aqua frigida, irritationem cutis per eucurbitulas sicas, epispastica, vesicantia, pediluvia irritantia, balneum tepidum, emplastrum aut unguentum antimoniale.

Subinde remedia enumerata effectu desiderato destituuntur, quia haemorrhagia sustentatur per gradum debilitatis majorem in partibus solidis, tunc pro intensitate debilitatis adhibemus remedia tonica, amara, amaro-aromatica, spirituosa; ita in haemorrhagia asthenica erethistica prescribimus infusum radicis valeriana sylvestris cum liquore aethereo, saepe jungimus adstringentia, ut alumen, ratan- liam, corticem peruvianum, in primis autem corticem cinnamomi vel cassiae lignae in pulvere aut tinctura; sub debilitatis gradu majori recurrimus etiam ad camphoram, ammoniam, moschum, in primis ad vinum antiquum, quale possidemus in Budensi.

Contra talem haemorrhagiam profusam, asthenicam semper necessaria sunt simul remedia externa; saepe saepius utilissima sunt fomenta frigida, nisi status aegri jam sit torpidus, aut per applicationem frigoris spasmi provo-

eontur; tunc adhibemus potius fomenta tepida ex aceto, vino, cremato, spiritu vini, spiritu aromatico, e solutionibus adstringentibus et infusis herbarum aromaticarum; frequenter praescribimus aceti aromatici cum campbora libram unam alteramve, aquae calidae immergimus, et linteamina eadem madefacta partibus externis applicamus, vel paramus sacculos ex herbis aromaticis, quibus subinde amara et adstringentia addimus, maceramus in aqua, aceto vel vino calido, et expressos imponimus cuti. Subinde necessaria est compressio mechanica, vel ligatura inprimis arteriae injicienda.

§. 15.

Postquam haemorrhagia per therapiam, statui individuali adaequatam, sublata est, curam ulteriorem adhibemus ad impediendam recidivam, quem in finem partim causae excitantes evitari, partim status dynamico-organicus seminum morbi constituens successive removeri debent.

Principia haec nos dirigunt in omni haemorrhagia curanda; interim haemorrhagia in diversis partibus locum habens, diversa habet symptomata, diversam requirit therapiam; quia in omni tali haemorrhagia profusa occasio est praeceps, auxilium difficile, experimentum periculosum, ideo parati esse debemus mente, ut auxilium promptum ferre valeamus; propterea natura haemorrhagiae singulae, et therapia ejusdem rationalis eruenda est.

H A E M O R R H A G I A N A R I U M.

§. 16.

Profluvium cruentum e naribus est inter omnes haemorrhagias frequentissima, ideo inter omnes antiquos medicinae scriptores nomine haemorrhagiae hoc profluvium cruentum intelligitur; vocatur etiam epistaxis,

a Plouquet *rhinorrhagia*, ab Alibert *haemorrhinia*, seque manifestat per varia symptomata pro diversa constitutione individuali aegri et pro diversitate momentorum pathogeneticorum.

Böhmer, diss. de sanguinis profluviō e naribus, maxime eo, quod in senibus observatur. Halae. 1774.

Ern. Onofrius, de narium haemorrhagia commentarius, Lips. 1779.

F. C. Vogel, diss. de valore critico haemorrhagiae narium, et haemorrhoidum. Halae. 1792.

G. A. Riederer, diss. de haemorrhagia narium, praesertim respectu semiotices. Altiorfi. 1791.

Acrel, diss. de epistaxi, Upsaliae. 1797.

Eltz, diss. de haemorrhagia narium. Vittebergae. 1798.

G. Heilmann, diss. de epistaxi. Würzb. 1801.

Kletten, pr. de haemorrhagia narium in morbis acutis critica et salutari. Vitteb. 1800.

§. 17.

Saepe epistaxis sine ullis prodromis in homine apparenter sano subito comparet, saepius tamen eandem annunciant prodromia varia, quae indicant circulationem sanguinis in toto organismo acceleratam, ut calores, rubores fugaces, respiratio difficultis, palpitatio cordis, anxietas, pectoris oppressio, somnus inquietus, per somnia terrificus turbatus; praeter haec observantur symptomata, quae indicant congestionem sanguinis majorem in caput, in specie in nares, ut sunt vertigo, capitis dolor, gravitas, faciei rubor et turgor major, oculorum splendor, rubor, turgor, subinde obfuscatio, vel scintillatio, aurium tinnitus, surrus, subinde narium rubor major, obstructio, titillatio, sternutatio; quibus symptomatibus non raro jungitur pulsus frequentior, dicrotus, seu bis feriens, subinde tantum undosus et quidem frequentissime tantum in uno brachio, in illo nempe, e cuius latere cavi narium haemorrhagia promanat.

Symptomata prodroma enumerata saepe diebus pluribus adsunt, saepe brevissimo tempore observantur, et statim comparet profluvium cruentum, frequentissime tantum ex uno latere nasi, rarius ex utroque, quantitate diversa, subinde tantum guttatum destillat, saepe vero rivo majori profunditur, non tantum per nares anteriores, sed saepe etiam per posteriores ruit in fauces, unde partim expulitur per os, partim ope oesophagi defertur in ventriculum, aut incidit in ipsam tracheam, ideo subinde tussis violenta, et emesis cruenta provocantur, ideo attentione haud debita adhibita facile epistaxis cum stomatorrhagia vel haematemesi vel pneumonorrhagia confundi potest. E symptomatis tamen attente collectis diagnosim cum probabilitate summa construimus, et fontem haemorrhagiae in naribus cognoscimus; ut tamen natura individualis haemorrhagiae clara sit, etiam causae ejus erui debent.

§. 18.

Occurrit haemorrhagia narium in hominibus omnis aetatis ac sexus, quia cavum narium totum obvestitum est membrana mucosa molli spongiosa, quae perreptata est arteriis copiosis et quidem ramis carotidis internae et externae, venis item numerosis, quae partim in sinus cavernosos, partim in venas jugulares influunt; haec membrana actioni potentiarum nocentium valde exposita gaudet nervis multis, praeter nervos olfacterios, rami parisi quinti hic terminantur, et horum ope alit sympathiam cum partibus capitis, et connectitur cum nervo sympathetico magno, ejusque ope cum visceribus cavo pectoris et abdominis reclusis; propterea potentiae nocentes diversae alias partes organismi ferientes possunt excitare status morbosos narium et in specie haemorrhagiam. Aliqui homines habent dispositionem peculiarem in epistaxim, vel haereditate acquisitam, vel in utero matris evolutam, quae fundatur in ipso habitu corporis; qui fabricam corporis teneram, sistema nervosum magis evolutum habent, habitu corporis phthisico, vel apoplectico, vel vitio cordis organico laborant, epis-

taxi facilius corripiantur; aetate juvenili et adolescentiae frequentior est haec haemorrhagia, et quidem ante tempus pubertatis pueri facilius in illam incident, quam puellae, aetate virili rarer, senili iterum frequentior est epistaxis.

Dispositione praesente excitatur haec haemorrhagia partim idiopathica, partim symptomatica, partim sympathica, partim antagonistica, aliquando per causas solutionem continui inducere valentes, longe frequentius tantum per secretionem cruentau abnormem. Subinde tales causae sunt violentia mechanica capiti, faciei vel naso illata, vulnerando, contundendo, ex alto decidendo; subinde irritamenta chemica naso inducta, ut pulvis nicotianae acris, sternutatoria acria, ut helleborus, fumus, vapores acres, subinde evulsio vibrissarum violenta, operatio polypi narium, inflammatio earumdem, exulceratio syphilitica s. ozoena, caries. Saepe producitur haec haemorrhagia per causas circulationem sanguinis accelerantes et congestionem majorem in caput promoventes, ut sunt sola positio capitis declivis diu continua, radii solis urentes caput ferentes, in primis dum illud galea metallica tectum est, calor furni violentus, in primis dum corpus antea frigori expositum fuit, motus corporis vehementior, sub cursu, saltu, lucta, nixu, ponderum gravium levatione, partu difficulti, vociferatione, cantu, vomitu, sternutatione, tussi et risu violento. Ita agunt etiam animi affectus vehementes, ut gaudium et ira, cibi aromatici, frequentius potus spirituosi et calefacientes, subinde pharmaca irritantia, evacuationes habituales, in primis cruentae, ut haemorrhoides, catamenia, suppressae. Subinde excitatur epistaxis per causas tales, quae circulationem sanguinis liberam impediunt, et congestiones majores in caput sustentant, quales sunt constrictio major partis alicujus, in primis colli ope collaris angusti, subinde tumores in partibus externis conspicui, ut struma magna et dura, scrofulae induratae, vel tumores profundius reconditi, ut anevryisma carotidis, subinde liquida, ut serum, sanguis, pus morbose accumulatum in cavo pectoris, vel vomicae, tubercula, anevryisma aortae, vitia

organica cordis, steatoma, quorum ope inprimis venae comprimuntur et sic refluxus sanguinis e capite impeditur. Eundem effectum exerunt serum in cavo abdominis accumulatum, scybala copiosa tubum intestinalem obstruentia, uterus gravidus, tumores viscerum indurati, in primis infarctus hepatis et lienis, atque jam Hippocrate animadvertente frequentissime contingit haemorrhagia e parte nasi, infarctui respondentem, cujus causam summe probabilem reddidit J. P. Frank: scilicet in statu sano cavum pectoris totum pulmone repletum est, tumore in regione hypochondriaca alterutra praesente dilatatio diaphragmati versus illam partem abdominis impeditur, ideo pulmo magis extenditur illa parte versus claviculam, sub qua decurrit arteria subclavia, qua compressa impeditur fluxus sanguinis, et a sanguine ita retento producitur in brachio pulsus dicrotus, a sanguine vero in illa parte capitum et pulmonis retento provocatur epistaxis, quae non raro constituit symptoma alterius morbi, ut febris inflammatoriae, subinde putridae, non raro intermittentis, subinde helminthiasis intestinalis, saepius scorbuti et morbi maculosi Werlhofii.

In omni casu individuali e combinatione causarum cum symptomatibus prodromis et concomitantibus, possumus cum probabilitate magna definire naturam epistaxis, sit-ne a sola solutione continui, vel a sola secretione morbosa, et hacc ipsa habetne characterem sthenicum vel asthenicum cum erethismo vel torpore.

§. 19.

Ut prognosim probabilem pronuntiare, et therapiam rationalem adornare valeamus, attendimus etiam ad de cursum morbi; quo respectu epistaxis est subinde continua continens, vel remittens, saepe intermittens ita, ut certis vel incertis temporibus, omni septimana, mense, anno, in multis tempore aequinoctii recurrat, estque relate ad durationem non raro acutissima, saepius per dies, septimanas, menses excurrit. Saepe epistaxis est critica, salu-

taris ita, ut febres, inflammations, exanthemata, nevroses per haemorrhagiam narium, sola autocratia naturae productam, feliciter resolvantur; docentque observationes tempore epidemiarum factae, sanguinis evacuationes artificiales minus salutares fuisse, quia per autoeratiam naturae haemorrhagia tempore et loco magis congruo provocata fuit. Nec tamen omnis epistaxis ita salutaris est, subinde nimis profusa inducit debilitates, pallorem, tremorem, animi deliquia, hydropem, tabem, mortem. Epistaxis sub forma febris intermittentis larvatae ab Acrel descripta sub paroxysmo septimo aegrum enecuit.

In prognosi construenda rationem habemus constitutionis aegri, complicationis, durationis et intensitatis haemorrhagiae. In genere epistaxis aetati puerili, adolescentiae et juvenili minime timenda est, sanguis enim amissus facile regeneratur; dum tamen aetate teneriori haemorrhagia haec valde frequens et profusa est, tunc indicat dispositionem organismi ad phthisim, pneumonorrhagiam et vitia organica cordis; ita epistaxis aetate senili frequentior et profusa ominosa est, non raro symptomā prodromum apoplexiae constituit. Epistaxis characterem inflammatorium mihiorem exhibens minime timenda est, quae autem characterem adynamicum torpidum, ut in febri putrida, in scorbuto ad tertium gradum evecto contingit, ibi epistaxis profusa est periculosissima. Frequentissime tamen per therapiam rationalem sanatur.

§. 20.

Antequam ouram epistaxis suscipiamus, definimus, sitne critica, qualē non tollimus, sed omnia removemus, quae eam suppressare, vel excessivam reddere possent. Subinde etiam epistaxis charactere inflammatorye praedita nimia evadere potest, et tunc nocet, nam talis epistaxis energica sibi relicta sustentat, imo auget congestionem sanguinis in caput totum, et sic facile apoplexia, convulsiones et mors subsequuntur. Propterea nec epistaxis energia soli autocratiae naturae committi potest, sed requirit therapiam antiphlogisticā. Indicatio est, ut congestio

sanguinis major versus caput impediatur, motus cordis et arteriarum restringatur; ideo commendamus tali aegro summam quietem corporis et animi, situm quasi sedentem, capite elevato et pedibus dependentibus; vestimenta, in primis collum et pectus stringentia, solvimus; temperaturam externam magis frigidam reddimus; stimulos omnes externos, ut strepitum, lucem nimiam, arcemus. Raro tamen haec sufficiunt, necessaria sunt efficaciora remedia, quorum influxu sanguinis qualitas irritans et cordis irritabilitas imminuuntur; talia sunt aqua frigida, quam aeger frequenter parva dosi haurit, decoctum emolliens, emulsio tenuis, quibus acetum vel oxymel vel succum citri, nitrum, cremen tartari, arcanum duplicatum, salem amarum, salem mirabilem Glauberi addimus, et quidem in epistaxis largiore dosi tali exhibemus, ut alvus purgetur, tunc virtute sua antagonistica prosunt. Subinde epistaxis methodo huic mitiori haud obtemperat, pulsus frequens et durus, calor animalis exaltatus indicant statum inflammatorium eminentiorem, ad quem removendum methodus antiphlogistica efficacior necessaria est: sanguinis evacuatio artificialis, saepe venae-sectio, et quidem si fieri potest in pede, saepe sufficiunt sanguinis evacuationes topicae, et quidem dum epistaxis producitur per suppressum fluxum haemorrhoidalem vel catameniale, tunc hirudines applicamus ad viciniam intestini recti vel genitalium.

Methodus haec antiphlogistica in epistaxi energica utilissima nocet in epistaxi profusa, in individuo debili, characterem asthenicum prae se ferente. In tali status asthenicus est plerunque cum hypererethisia connexus, quam indicant calor animalis exaltatus, pulsus frequens mollis, palpitatio cordis, atque tunc indicata sunt remedia, quae irritabilitatem morbose exaltatam cordis et arteriarum imminuunt, quem in finem utilissima sunt acida mineralia, in specie liquor acidus Halleri, in aqua vel decocto emolliente exhibitus; non raro in individuis hysterics ac hypochondriacis effectum desideratum exerunt narcotica, extractum hyoscyami, saepius opium. Non raro

scopo magis satisfaciunt antagonistica, ut ipecacuanha dosi refracta, purgantia, pediluvia acriora, cum cineribus, sale communi, vel farina seminum sinapis parata, perfusio inopinata cum aqua frigida, subinde fomenta ex aqua frigida vel glacie contusa, in viris genitalibus applicita, epistastica extremitatibus, cucurbitulae siccae ventosae nuchae impositae.

Dum epistaxis profusa sustentatur per statum asthenicum torpidum, ad paralysim accedentem, tunc requiruntur remedia adstringentia, roborantia, ut alumen, cortex chinæ, liquores aetherei, in primis cinnamomum, cassia lignea, et vinum generosum.

Dum epistaxis symptoma constituit febris intermittentis, tunc cura illius perficitur in primis usu congruo corticis cinchonae.

§. 21.

Remedia interna non sufficiunt semper sola ad epistaxis curandam, nisi externa etiam in auxilium vocata fuerint, quae non raro sola curam absolvunt. Inter haec principem locum tenet aqua frigida; linteamen vel char-tani emporetican aquae frigidæ immersam imponimus naso aegri, quod fomentum saepius renovatum non raro jam sufficit, subinde prodest aquam frigidam in nares attrahere vel ope syringæ injicere. Saepe ad virtutem augendam miscemus aquae acetum vel spiritum vini, vel commendamus aquam vulnerarium cum aceto, vel solutionem aluminis, vitrioli, zinci, martis vel cupri, vel acetatis plumbi crystallisatae, subinde turundas liquidis illis imprægnatas, vel albumine ovi illinitas et inspersas pulveribus gumi tragacanthæ vel amyli, caute in nasum intrudimus. In casibus nonnullis remedia illa utilia sunt, in aliis successu destituuntur, nasum irritant, sternutatione turunda ejicitur una cum thrombo, et haemorrhagia profusa iterum continuat; in hoc casu commendatur, ut pars intestini tenuis snilli, prius rite exsiccata, dum usus ejus capitur madefacta, in una extremitate ligata ope styli intrudatur

in nasum, alteri extremitati applicetur syringa parva et hujus ope aqua frigida injiciatur; efficaciam suam exerit hoc remedium per solam pressionem, quae facilius procuratur, dum pars nasi, ex qua haemorrhagia locum habet, turundis siccis expletur, et aeger in quiete retinetur; subinde haec expletio anterior non sufficit, quia haemorrhagia contingit per choanas in pharyngem, tunc turunda ope instrumenti idonei debet per os in choanas induci, et per unum alterumve diem retineri.

H A E M O R R H A G I A O R I S.

§. 22.

Haemorrhagia oris s. stomatorrhagia, dicitur profluvium cruentum, promanans e vasis sanguiferis cavi oris, cuius membrana mucosa vasis haematophoris copiosissimis instructa est, atque ex his non raro effunditur sanguis, et quidem saepe e gingivis, et tunc dicitur stomachace. saepe ex interna superficie labiorum oris, buccarum, alveolis dentium, palato duro ac molli, ex lingua et quidem frequentissime in superficie illius inferiori, prope ad fraenulum linguae, ubi arteriae et venae raninae decurrent, subinde ex isthmo faucium, uvula, ac tonsillis.

Fischer, Diss. sistens haemorrhoides e palato profuentes. Erfurti, 1722.

A. J. Orlow, diss. de haemorrhagia oris, Regiomontii, 1781.

§. 23.

Saepe pneumonorrhagia haec nullis praegressis prodromis subito comparet, saepe tamen praecedunt prodroma per horas, dies, menses, imo annos, ut circulatio sanguinis accelerata, turgor vasorum major, pruritus ac titillatio, rubor et calor in cavo oris, subinde extensio varicosa vasorum, masticatio, deglutitio, subinde etiam loquela plus minusve impediuntur; profluvium ipsum contingit saepe

parva quantitate, tantum gustatim, sed non raro sanguis effunditur quantitate magna, ad uncias, imo libras plures, jam floridus, arteriosus, jam nigricans, venosus, jam purus, jam mixtus saliva, muco vel pure. Sanguis prorumpens e diversis partibus cavi oris in aegro dormiente per oesophagum defertur in ventriculum, ubi accumulatus excitat vomitum cruentum; subinde incidit in laryngem et tracheam, unde tussi ejicitur ita, ut dubium exoriatur de scaturigine sanguinis, sitne stomorrhagia, haematemesis, vel pneumonorrhagia; dubium hocce in diagnosi diluitur per observationem attentam, quod nempe in aegro non praecedant symptomata, quae solent haematemesim aut pneumonorrhagiā annunciarē, et si os aqua debite elutum lumine obverso inspiciatur, tunc conspiciuntur fontes, e quibus sanguis prosilit; si caput declive antrorum inclinetur ita, ut mentum pectori appressum fuerit, tunc ore aperto sanguis effluit in stomorrhagia, non vero in pneumonorrhagia.

§. 24.

Ita combinando omnia symptomata stomorrhagiam praesentem cognoscere valemus, ad naturam tamen illius individualē definiendam causas quoque eruere debemus. Possident aliqui homines dispositionem peculiarem in hanc haemorrhagiam, jam congenitam, jam post nativitatem evolutam, qua praesente causae excitantes diversae profluviū cruentum provocant, inducendo diversas mutationes dynamico-organicas, jam diaeresim s. solutionem continui, ut vulneratio, operatio chirurgica in cavo oris, solutio vel morsus linguae sub insultu epileptico, evulsio dentis, subinde hirudines gingivis vel linguae applicitae, jam diabrosis s. erosionem vasorum, ut ambustio cavi oris, applicatio causticorum, aphthae, ulcera scrofulosa, syphilitica cancerosa; non raro sine ulla laesione manifesta, per solam secretionem morbosam inducitur stomorrhagia per congestionem energicam sub inflammatione partium diversarum cavi oris, sub glossitide, isthmitide, exanthematibus acu-

tis. Subinde excitatur metastaticē, antagonistice, dum eva-
cuationes aliae, in primis cruentae, ut fluxus catamenialis
vel haemorrhoidalis supprimuntur; tunc nonnunquam in ca-
vo oris conspiciuntur varices, vocanturque a quibusdam
haemorrhoides oris, quae majores masticationem,
deglutitionem et loquaciam impediunt, ruptae per haem-
orrhagiam profusam aegrum in periculum conjiciunt, sae-
pe stomatorrhagia est symptoma alterius morbi, ptyalismi,
febris putridae, morbi maculosi Werlhofii, in primis autem
scorbuti, in quo membrana mucosa cavi oris est tumida,
spongiosa, ad pressionem minimam, imo et sine illa san-
guinem fundens.

§. 25.

Postquam diagnosi stabilita statum dynamico-organicum
totius organismi et in specie cavi oris definivimus, tunc
eum probabilitate magna prognosim stomatorrhagiae pro-
nuntiamus; subinde constituit morbum levem, criticum,
salutarem; saepe pericula adfert, ita post evulsionem den-
tis subinde haemorrhagia profusa aegrum conjecit in sum-
mam debilitatem, imo letalis fuit; quae producitur per ca-
riem ossis maxillaris, per carcinoma, febrim putridam;
morbum maculosum Werlhofii neglectum, vel scorbutum in-
ternum gradum evectum, enecare aegrum valet; saepo ta-
men therapia rationalis aegrum periculis eripit.

§. 26.

Indicatio curae prima desumitur a causis excitantibus,
quantocius removendis; ita si fuerit stomatorrhagia sym-
ptoma alterius morbi, inflammationis topicae, scrofularum,
syphilidis, scorbuti, febris putridae, etc. tunc contra hos
morbos therapiam instituimus; suppressam evacuationem
habituellem cruentam restituere, vitia removere nitimur,
dentem cariosum vel partem cariosam maxillae separamus,
varices in cavo oris praesentes destruimus aut incisione,
quod rarius sufficit, aut caustici vel ferri candentis appli-
catione, subinde ligatura, optime extirpatione; haemor-

rhagia, post dentis evulsionem ex alveolo profusa, requirit compressionem in ipso alveolo, per linternum carptum, vel spongiam pressam, vel dentem evulsum repositum, vel instrumentum comprimens idoneum. Haemorrhagia mitior per quamcunque causam, in quacunque parte oris producta, cedit remediis mitioribus stypticis, ut est aqua frigida, frequentius in os recepta, qua sola haud sufficiens, addimus acetum vel spiritum vini fortis, aquam vulnerarium cum aceto vel vino, solutionem aluminis, vitrioli, zinci, cupri vel ferri, decoctum adstringens, ut tinturam rathaniae; haemorrhagia his remediis haud silente, vas sanguinem fundens ferro candente contingimus, et eschara inducta sistitur haemorrhagia, ad cuius reversionem impedientiam, eschara longiori tempore comprimi debet.

P N E U M O N O R R H A G I A.

§. 27.

Pneumonorrhagia seu haemoptysis, haemoptoe, haemoptysmus, emptoë, emptoica passio, sputum cruentum, tussis cruenta, dicitur in genere illa haemorrhagia, quae locum habet ex organis respirationis, et quidem aut e larynge (laryngorrhagia), aut e trachea (tracheorrhagia), aut e pulmonibus (pneumonorrhagia), estque post epistaxis haemorrhagia frequentior et periculosior.

Alberti, Diss. de haemoptysi. Halae. 1730.

Linneus, Diss. de haemoptysi. Upsaliæ. 1764.

P. G. Schroeder, resp. **G. A. Gramberg**, Diss. de haemoptysi in genere, et speciatim ejus nexus cum varia adversa ex hypochondriis valetudine. Göttingae. 1776.

H. J. C. Letherus, Diss. de haemoptysi. Vittebergae. 1783.

J. C. Gutberlet resp. **P. Reuss**, Diss. sistens momenta quaedam circa haemoptysim. Würzburgi. 1798.

Berends, Diss. de haemoptysi. Francof. ad Viadr. 1802.

G. Rees, a practical treatise on hemoptysis. London. 1813.

§. 28.

Ut morbum praesentem cognoscere valeamus, in singulo casu individuali attentionem nostram dirigimus ad symptomata cuneta, quae morbum praecedunt, comitantur aut sequuntur. Non raro observantur prodroma, ut calores fugaces, rubor genae unius vel utriusque exaltatus, oculorum scintillatio, aurium susurrus, capitis dolor, somnus inquietus, cordis palpitationes, dolor jam obtusus premens, jam acutior pungens, in trachea vel in aliqua parte pectoris, tussis, subinde violenta, saepius tantum tussicula sicca, quae prodromia durant subinde per septimanas, imo menses plures, saepe sine ulla prodromis comparet pneumonorrhagia subito. Aeger persentit horripilationem et frigus modicum, quod excipit calor, moxque comparet titillatio in trachea vel in alterutro latere pectoris, postea percipit ascensionem liquidi per tracheam et laryngem in fauces, quod excitat saporem subdulcem, et mox tussi ejicitur sanguis, et quidem saepe tussis est ita moderata, ut videatur magis screatu, quam tussi evacuari sanguis; non raro tussis est violenta, evacuaturque sanguis quantitate saepe minima, paucarum guttarum, paucarum drachmarum; saepe quantitas est notabilis plurium unciarum, imo plurium librarum, et tunc cum tussi valde violenta sanguis ejicitur per os et nares; tunc subinde quantitas aliqua defluit per oesophagum in ventriculum, excitaturque vomitus; sanguis est subinde muco vel pure mixtus, saepe ab aere admixto spumescens, lacte ruber, manifeste arteriosus, vel niger, manifeste venosus, subinde coagulatus; in plurimis aegris sub hac haemorrhagia calor animalis exaltatur, pulsus arteriarum frequentiores et duriiores tanguntur, sed mox accedunt symptomata metus et terroris; cordis motus evadit irregularis, facies pallid, extremitates frigent, cor anxie palpitat, sensus externi obfuscantur, pulsus arteriarum parvus et debilis evadit, et non raro animi deliquia succidunt, quae symptomata ab ipso profluvio cruento repeti

haud possunt, cum quantitas sanguinis evacuati saepe sit exigua, paucarum drachmarum, aut unciarum, tantum sub haemorrhagia profusa comparent symptomata debilitatis. Facta evacuatione symptomata aliqua imminuuntur, imo disparent, saepè tamen remanet dyspnoea, strepitus in pectore, et post moram iterum revertitur haemorrhagia, variaque comparent symptomata, pro diversitate sedis haemorrhagiae. Subinde restringitur haemorrhagia ad laryngem vel tracheam, quod cognoscimus ex defectu symptomatum morbi in pectore evolvendi, ex sensu doloris, ardoris, titillationis, quem aeger ipse assignat in collo, in parte aliqua tracheae, quibus praegressis tussi, licet molesta, sanguis ejicitur floridus, ut plurimum minore quantitate, nisi per statum morbosum diuturnum vasa laryngis aut tracheae sint dilatata, et per rupturam eorundem haemorrhagia inducatur. Dum sanguis e pulmonibus effunditur, tunc praecedit oppressio pectoris major, percipiturque non tantum ope stethoscopi, sed et auris strepitus in pectore, sanguisque ejicitur majori copia. Differentia majoris momenti inducitur per causas morbi.

§. 29.

Dispositionem in hanc haemorrhagiam insigiem observamus in omni homine, omni aetate et omni sexu, ob fabricam pulmonum inter omnia viscera vasis hematophoris copiosissimis instructorum, ad quos sanguis ex universo corpore adducitur, qui motu continuo exagitantur, influui atmosphaerae noxio maxime expositi; aliqui homines habent dispositionem peculiarem in hanc haemorrhagiam, non raro congenitam, ob fabricam organorum respirationis teneriorem, magis irritabilem, quae se manifestat per habitum corporis phthisicum, pectus angustum, compressum, collum longum, scapulas alarum instar prominentes, cutim ut plurimum albam, mollem, genas magis rubicundas; inducitur dispositio per sexum, viri frequentius hac haemorrhagia laborant, quam sexus sequior, qui tamen morbum non effugit semper, in quem praedisponunt subinde com-

pressio pulmonum per rhachitidem , per morbos organicos cordis aut pulmonum , per irritationem diurnam pulmonum , ideo oratores , cantores , pistores , metallorum polidores , sculptores non raro in hunc morbum incidunt , et quidem ab anno aetatis decimo sexto usque trigesimum quintum est haec haemorrhagia frequentior , quia homo hac vitae periodo affectibus variis exagitatur , per quos congestio sanguinis major in pectus provocatur .

Causae autem excitantes sunt diversae , subinde violentiae externae , contusiones , vulnera collo , pectori , dorso illata , vocatur *pneumonorrhagia traumatica* ; subinde per stimulos mechanicos et chemicos , in laryngem et tracheam delatos , ut sunt pulveres diversi atmosphaerae immixti . vapores acres , acidi , alcalini , metallici in pulmones delati ; non raro excitatur per causas circulationem sanguinis accelerantes , et sic congestionem majorem in pulmones producentes , ut sunt motus corporis violenti , cursus , iuncta , vocis intensio major , nixus nimius , sub ponderum gravium elevatione , vomitus , risus , sternutatio , tussis violenta ; subinde per causas circulationem sanguinis liberam impedientes , ut sunt vestes angustae , thoracula , subinde tumores varii in cavo pectoris vel abdominis existentes , infarctus viscerum abdominalium , collectio morbosa seri , subinde graviditas ; nonnunquam provocatur haec haemorrhagia per stimulantia ventriculo ingesta , ut potus spirituosos excessive haustos , venena acria , in primis arsenicum et mercurium sublimatum corrosivum ; non raro excitatur per animi affectus , in primis iram , per calorem externum nimium , frequentius adhuc per refrigerium , per excessus in venere ; subinde excitatur symptomatice per morbos alias , ut febres , tam continuas , quam intermittentes , inflammatorias aut charactere septico notatas , per phlogoses , in primis organorum respirationis , catarrhos graves , tussim convulsivam , per morbillos , syphilidem , scrofulas , scorbutum , morbum maculosum Werlhofii , phthisim pulmonalem ; subinde excitatur sympathice per morbos cordis organicos , et testante Stoll per saburram biliosam ; antagon-

nistice, dum evacuationes aliae habituales, ut sudor, fluxus haemorrhoidalis vel catamenialis suppressuntur, dum morbi alii, ut rheumatismus, arthritis, efflorescentiae cutaneae subito disparent.

Ex momentis pathogeneticis, in singulo casu individuali solicite collectis et combinatis cum symptomatibus praesentibus, per considerationem conamur naturam individualem pneumonorrhagiae definire. Subinde locum habet solutione continui, vel rhesis vel diabrosis vasorum sanguiferorum, qui casus tamen longe rarer est, si nempe vasa sanguifera laryngis, tracheae, bronchiorum, pulmonum habuerint extensionem aneurysmaticam vel varicosam, vel si membranae vasorum fuerint morbose emollitae, tunc sub motu corporis violento, saltu, lucta, vocis intensione nimia, concussione pectoris, animi affectu exorbitante, abuso spirituorum, potest ruptura locum habere; dum autem in organis respirationis ulcera chronica recondita sunt, tunc subinde vasa sanguifera eroduntur, et sic haemorrhagia inducitur. Sed in longe pluribus casibus pneumonorrhagia est dynamica, contingit tantum per secretionem morbosam, quae sustentatur saepe per energiam vitae in corde, ac arteriis morbose exaltatam, et tunc vocatur pneumonorrhagia activa, energica, sthenica, hypersthenica; non raro est character dynamicus asthenicus cum irritabilitate tamen morbose exaltata, dicitur pneumonorrhagia asthenica crethistica; subinde cum debilitate juncta est et irritabilitas immunita, dicitur pneumonorrhagia asthenica torpida, vel paralytica, vel passiva, qualem in febri putrida et scorbuto observamus.

§. 30.

Diagnosi individuali morbi rite constructa, sententiam ferre valemus de exitu probabili pneumonorrhagiae, quae in genere pertinet inter morbos periculosissimos, minime tamen semper letales, iuxta subinde in homine robusto, plethorico, non secus ac epistaxis innocua, in peripneumonia

incipiente salutaris est; ita dum antagonistice excitatur post fluxum catameniorum, aut haemorrhoidum suppressum, licet per seriem plurimi annorum saepius revertatur, tamen sanitatem organismi reliquam minus laedit; sed tales haemorrhagiae pulmonum rariores sunt, longe frequentius illae periculis junguntur, subinde tempore brevissimo, intra dies paucos, imo horas paucas aegrum enecant, quod accidit, dum profluvium cruentum est nimis copiosum; tunc sanguis per os et nares prorumpit, cor vehementer palpitat, pulsus arteriarum est frequens, cutis calor exaltatus, in pectore percipitur strepitus continuus, similis illi aquae bullientis, mox accedunt anxietates, inquietudo, extremitatum frigus, cutis universae pallor cereus, sensuum obfuscatio, vocis extinctio, pulsus arteriarum evadunt minimi, accedunt animi deliquia, subinde convulsiones, aeger incidit in asphyxiā, quae non raro transit in mortem veram, atque in cadavere reperitur sanguis copiosus, subinde in sacco plenrae, frequentius in trachea, bronchiis et substantia pulmonum, vocatur post *Laënnec apoplexia pulmonalis*, induciturque talis status, dum vasa pulmonum anevrysmatice vel varicose extensa rumpuntur, vel dum per statum dynamicum paralyticum haemorrhagia producitur. Exempla tamen talium haemorrhagiarum subito letalium rariora sunt; saepe sine omni artis auxilio haemorrhagia sponte sua sistitur, et quidem dum solutio continui per rupturam adest, post haemorrhagiam aliquam sanguis lentius movetur, et in ipso vase sanguifero rupto thrombus efformatur, qui tamen non raro post moram aliquam separatur per respirationem, et per sanguinis circulationem, et tunc haemorrhagia iterum revertitur. Nulla solutione continui locum habente, qui casus frequentissimus est, per ipsam sanguinis evacuationem irritabilitas morbose exaltata vasorum sanguiferorum imminuit, et hac ratione haemorrhagia silet, sed per quietem solam irritabilitas iterum morbose exaltatur, et sic haemorrhagia iterum revertitur; et observatio quotidiana docet, quod post morbum semel superatum dispositio remaneat, susten-

tans congestionem majorem sanguinis in organa respiratio-
nis, unde tussis sicca, dyspnoea, dolor jam obtusus, jam
pungens in aliqua parte pectoris, sub quibus symptomati-
bus tubercula prius se haud manifestantia, facile inflamman-
tur, in suppurationem transeunt, et sic exoritur phthisis
pulmonalis, cui ut satellites accedunt febris hectica, dia-
rrhoea, hydrops, donec aeger exhaustus extinguitur.

Ut prognosim cum probabilitate aliqua pronuntiare
possimus, considerari debent moimenta plura, naturam
morbi individualem determinantia: ita pneumonorrhagia
recens caeteris paribus prognosim habet laetiorem, quam
inveterata; quae pro causa proxima agnoscit solutionem
continui in vasis haematophoris, periculis longe majo-
ribus stipata est, quam per secretionem solam morbosam
simplicem producta; et quidem si talis contingat moderata
in homine juvene, robusto, plethorico, sub decursu mor-
borum phlogisticorum, tunc saepe est critica; quae anta-
gonistice inducitur post suppressionem fluxus catamenialis,
vel haemorrhoidalis, est minus periculosa, quam si scorbu-
ti vel febris putridae symptoma constituerit; charactere
energico mitiori instructa haemorrhagia prognosim habet
lactiorem, quam si character fuerit asthenicus erethisticus;
pessima est prognosis, si status dynamicus pulmonum fue-
rit paralyticus; haemorrhagia e larynge vel trachea scatu-
riens est caeteris paribus minus periculosa, quam si in sub-
stantia pulmonum evolvatur; si dispositio ad pneumonor-
rhagiam fuerit congenita, per habitum corporis phthisicum
se manifestans, si aetate adhuc teneriori, vel statim post
pubertatem saepius comparuerit morbus, est semper ominosus,
indicat enim statum morbosum organorum respiratio-
nis et circulationis saepe nulla arte removendum; sed ta-
men etiam in tali statu per therapiam rationalem vita aegri
diu conservari, ubi autem status talis artis conatus limi-
tans non adest, ibi sanitas iterum reddi potest.

§. 31.

Therapiam pneumonorrhagiae omnis inchoamus cum
exceptione indicationis generalis haemorrhagiam hanc in

genere periculosam per motum sanguinis tranquillierem redditum mitigandi; ideo cuncta, quae sanguinis circulum accelerare, congestionem majorem in organis respirationis provocare possent, statim scrupuloso removeri debent; aeger observet quietem summam, collocetur in situm quasi sedentem, pedibus declivibus, thorace et capite elevatis, interdieatur illi omnis sermocinatio, vestimenta cuncta arctiora solvantur, stimuli omnes maiores externi, lux, strepitus, hominum concursus arceantur, calor externus valde moderatus, frigidiusculus illi procuretur, alimenta et potulenta nulla, nisi blandissima exhibeantur; subinde sola haec therapia negativa sufficit ad haemorrhagiam sistendam; saepius tamen remittit, aut intermittit profluvium cruentum, et iterum revertitur, nisi therapia efficacior adhibita fuerit; quare dum therapiam nunc laudatam generalem commendamus, eodem tempore historiam morbi brevem excipimus, symptomata successive evoluta, et nuno praesentia combinamus cum momentis pathogeneticis, ut sic characterem dynamico-organicum individualem pneumonorrhagiae definire valeamus. In plurimis casibus saltem sub exordio pneumonorrhagia habet characterem energicum, ideo in longe plurimis casibus methodus antiphlogistica est indicata, et quidem sanguinis evacuatio artificialis per venae sectionem, si fieri potest in pede, secus in brachio; quantitatem sanguinis evacuandi accomodamus constitutioni individuali aegri, et intensitati morbi, saepe evacuatio suscipi debet ad uncias sex, usque libram unam; in aegris tamen tenerioribus sufficit, duas, tresve uncias evanmare. Saepe ob debilitatem organismi praesentem tantum topicae sanguinis evacuationes suscipi possunt, partim per hirudines, partim per cucurbitulas cruentas, quas applicamus parti illi pectoris, in qua sedem morbi cum probabilitate definimus; dum per fluxum catameniorum aut haemorrhoidum suppressum excitata fuit haemorrhagia, tunc evacuatio topica rectius suscipitur in vicinia intestini recti, aut genitalium; subinde pediluvio praevie adhibito, circa malleolos imponimus hirudines; haec evacuatio sanguinis non raro

saepius repeti debet, quotiescumque nempe prodroma observantur pneumonorrhagiae; simul interne exhibemus decoctum hordei vel radicis althaeae, vel salep, cum oxymelle simplici, syrupo althaeae vel rubi idaei, vel emulsione amygdalarum dulcium vel seminum cannabis, melonum, cucumerum, cœurbitarum, quibus nitrum et saccharum addimus; alvo obstipa existente clysmata emollientia, vel purgantia antiphlogistica commendamus.

§. 32.

Saepe indicatio pro sanguinis evacuatione nulla detegitur, post illam etiam cum omni cautela, susceptam haemorrhagia ob irritabilitatem morbose exaltatam, in primis systematis arteriosi pulmonalis revertit; tunc indicata sunt remedia irritabilitatem illam imminuere valentia, quae non in omni aegro, nec omni tempore eadem sunt; symptomata omnia inter se combinando et ad effectus remediorum attendendo; possumus saepe remedium maxime idoneum pro casu individuali invenire. Borsieri contra omnem pneumonorrhagiam maxime commendat aquam frigidam, omni quadrante horae poculo medio hauriendam, simul per dies aliquot ab omni alio cibo et potu abstineat aeger, potu haud sufficiente fomenta ex aqua frigida frequentissime renovata pectori applicentur. Dubium nullum est de efficacia remedii hujus; in laryngorrhagia et tracheorrhagia fomenta ex aqua frigida, nivibus, glacie contusa, collo applicata, frustum glaciei ori impositum in plurimis casibus haemorrhagiam sistunt. Remedium tamen hoc contra omnem pneumonorrhagiam minime commendamus, nam tristis observatio docnit, haemorrhagia silente, tussim, raucedinem, aphoniā, dolores remansisse, atque tracheitidem et bronchitidem chronicā in phthisim, arti omni rebellem, transvisse; ideo cautela summa adhibenda est in usu aquae frigidae, si aeger in sudore constitutus est, vel dispositionem talem habet, ut post influxum frigoris statim catarrho, vel rheumatismo corripiatur; tunc usum aquae frigidae contraindicatum haud admittimus, sed

potius interne emollientia blaudissima commendamus: decoctum hordei, althaeae, salep, emulsiones tenues; his haud sufficientibus recurrimus ad acida, quorum virtus experientia repetita probata est, subinde acida vegetabilia, ut acetum, succus citri, acidum tartari jani scopo satisficiunt, saepe tamen efficaciora desiderantur; Göden maxime commendat acidum phosphori, non raro alia, in specie acidum vitrioli dilutum, vel liquor acidus Halleri in decocto emolliente magis proficia sunt. Saepe ab acidis levamen nullum observamus, quia status abnormis vasorum haematophororum potius dependet a sensibilitate abnormali nervorum, tunc magis indicata sunt narcotica; Harless commendat oleum hyoscyami coctum, in casibus nonnullis proficuum, sed minime specificum; saepe virtutem majorem exerunt alia narcotica, ut decoctum caulinum dulcamarae, extractum lactucae sylvestris, hyoscyami, cicutaee, digitalis purpureae forma infusi, decocti, pulveris, extracti vel tincturae adhibita. Saepe virtutem suam eminentem probat opium jam solum, jam combinatum cum ipecacuanha vel acidis mineralibus, exhibendo pro nycthemero opii puri granum semis, unum, vel tincturae ejus simplicis guttas 7—14. Subinde utilitatem majorem praestitit aqua laurocerasi, vel acidum hydrocyanicum ad guttas sex, octo in decocto emolliente exhibitum; in casibus desperatis saccharum saturni a grano semis usque tria in decocto emolliente solum vel cum opio combinatum aegrum salvavit.

§. 33.

Subinde nec per acida, nec per narcotica haemorrhagia sistitur, licet causam ejus sustentantem constituant irritabilitas morbose exaltata topice in organis respirationis, tunc remedia antagonistica caeteris preferenda sunt; non raro sal communis, a B. Rush commendatus, omni bihrio cochleari coffeaceo in aqua solutus, profuit, saepius eundem effectum salutarem observavimus a sale amaro, sale mirabili Glauberi et arcano duplicato, eadem ratione exhibitis, quae pharmaca, dum tubum alimentarem

irritant, irritationem in trachea ac bronchiis imminuunt, pharmacaque illa eo magis indicata sunt, si aeger alvo ob-stipa laboraverit; dum enim diarrhoea praesens est, tunc purgantia adhiberi non possunt, sed aut tartarus emeticus dosi parva, aut ipecacuanha, granum unum, duo in duo-decim partes distribuendo et omni hora unum pulverem exhibendo, vel secundum Odier, pulveris carbonis vegetabilis omni biorio drachmam unam porrigeno. Saepe simul adhiberi debent antagonistica externa, ut pediluvium tepidum, cuius virtus exaltatur additis cineribus, vel salé culinari, vel farina seminum sinapis; subinde utilitatem conspicuam exhibent epispastica, sinapismus, emplastrum antimoniale, emplastrum cantharidum, partim extremitatibus, partim pectori applicita, subinde utilissime recurrimus ad cucurbitulas siccas ventosas dictas, pectori imponendas, quas jam Hippocrates commendavit.

§. 34.

Therapia huic usque laudata in plurimis casibus indica-ta haemorrhagiam omnem haud sistit, quia subinde morbus characterem habet dynamicum torpidum, paralyticum atque tunc remedia roborantia, stimulantia, adstringentia scopo satisfaciunt; tunc subinde prodest remedium a Selle lau-datum, nitrum in spiritu vini solutum; utilia sunt decocta adstringentia, alum en in sero lactis solutum, acida mine-ralia, cortex cinnamomi, vel cassiae lignae, cortex cin-chonae, radix ratanhiae, vinum generosum; simul externe pectori et extremitatibus imponimus fomenta aromatica cum aceto vel vino parata, camphora adjecta, et his haud suf-ficientibus, ligaturam injicimus brachiis et femoribus, nun-quam tamen diu continuandam.

§. 35.

Haemorrhagia silente, non illico cura omnis intermit-tenda est, morbus enim facile revertitur, nisi causas reci-divam provocare valentes removerimus. Subinde ob dispo-

sitionem aegri peculiarem et ob effectum potentiarum nocentium perdurat status subinflammatiorius vasorum haematosphororum, in primis pulmonalium, tunc methodus anti-phlogistica mitior diutius continuari et, quamprimum prodroma morbi se annunciant, illico sanguinis evacuatio suscipi debet. Subinde pneumonorrhagia est symptoma febris intermittentis, tunc per remedia antipyretica, frequenter per muriatem chinini, in connubio cum digitali purpurea sanatur. Non raro diathesis morbosa dependet tantum ab irritabilitate majori vasorum haematosphororum, quae immunitur per usum acidorum, ut spiritus vitrioli, liquoris acidi Halleri, subinde narcoticis simul mitioribus in usum vocatis. Non raro sustentant dispositionem infarctus abdominales et alvi obstructiones, tunc remedia solventia mitiora, diutius continuata, ut acidulae alcalinae, Szalatnyenses, Bilinenses, Selteranae, subinde Seidschützenses, Pilnaenses, clysmata Kaempfiana, frictio abdominis, motus corporis moderatus, commendante Sydenham, in equo, conveniunt. Subinde haemorrhagia haec inducitur per debilitatem conspicuam organismi, tunc methodus roborans, caute adhibita, ut aer purus, siccus, subinde alpium, victus moderate nutriendis animalis, pharmaca blande roborantia, ut carduus benedictus, hedera terrestris, urtica minor, summitates millefolii, stipites dulcamarae, lichen islandicus, cortex cinchonae, acidulae mitiores martiales, ut Ránkenses, Parádienses, in primis Füredienses, et Egeranae votis saepe respondent; frequentissima causa recidivam pneumonorrhagiae provocans est refrigerium, ad quod impediendum, quamprimum atmosphaera in autumno aliquantum frigidior evadit, cutis tota tegenda est vestitu laneo usque aestatem incipientem, tunc autem ad irritabilitatem cutis imminuendam lotio corporis totius, in primis pectoris aqua frigida, balneum in fluvio vel lacu indicata sunt. Dum ob evacuationem forte habitualem suppressam, vel aliam causam irritatio et congestio in organis respirationis perdurat, tunc ad recidivam haemorrhagias praecavendum re-

media antagonistica cuti applicita, ut sinapismi, emplastrum vesicatorium perpetuum, cortex mezerei, fanticuli, vel setaceum adhiberi debent.

VOMITUS CRUENTUS.

§. 36.

Vomitus cruentus s. haematemesis, oesophagorrhagia, gastrorrhagia, dicitur profluviū cruentum, quod scaturit e vasis sanguiferis ventriculi ipsius, vel e vasis intestini tenuis, lienis, hepatis, et sanguis in ventriculum effusus vomitu ejicitur. Nec tamen omnis sanguis vomitu ejectus haematemesim genuinam annunciat, non raro in epistaxi, stomatorrhagia et pneumonorrhagia sanguis per oesophagum defertur in ventriculum, et inde partim vomitu, partim alvo evacuatur. Subinde homines sanguinem recentem ventriculo ingerunt, partim ut remedium commendatum contra hydrophobiam et epilepsiam, partim sani dolosa ut symptomata producant tussis vel vomitus cruenti. Subinde in infantibus teneris observatur vomitus cruentus cum diarrhoea cruenta, quod infans e papillis matris vel nutricis, nimis avide sugendo, etiam sanguinem attrahat, atque in omni tali casu est haematemesis tantum apparet. Nec omne liquidum vomitu ejectum, rubro colore tinctum, sanguis est, nam baccae rubi idaei, cerasa acida, vinum rubrum, vomitu ejecta talem colorem habent, facile tamen solo visu a sanguine distinguntur.

Alberti, Diss. de vomitu cruento. Hala e. 1718.

Marcus, Diss. de vomitu cruento. Francof. 1790.

Warburg, Diss. de haematemesi, Francof. ad Viadr. 1803.

W. Schmitt, über das Phänomen des blutigen Erbrechens und Stuhl-absetzens neugeborner Kinder. (mediz. Jahrb. des k. k. öster. Staates, Bd. IV. St. 2. S. 80.)

§. 37.

In casibus rarioribus post actionem causarum excitantium violentiarum, sine ulla prodromis subito comparet haematemesis, longe tamen saepius observantur symptomata varia, indicantia congestionem sanguinis majorem in ventriculum et viscera vicina, ut sensus doloris jam acutioris, jam obtusioris, pressionis, tensionis, ardoris, in regione epigastrica, subinde in regione umbilicali, in regione una vel utraque hypochondriaca, in regione lumbali, quae sensatio ingrata disparateet saepe, sed iterum revertitur, in primis post ingesta, estque connexa subinde cum palpitatione, nausea, anorexia, ructibus, vomititione, subinde cum bulimia. Symptomata haec repetuntur saepe saepius jam a debilitate ventriculi, jam a saburra, ideo saepe adhibentur stomachica amara, spirituosa, vel etiam emetica, quae cuncta nullum levamen adferunt, imo irritando morbi fatalis evolutionem accelerant. Prodromis illis praegressis, breviori vel longiori tempore, aeger subito percipit horripilationem brevem, quam excipit calor continuus cum pulsu frequenti, sensatione doloris constringentis in ventriculo, nausea, vomititione, subinde sensatione liquidi subdulcis, e ventriculo in fauces ascendentis, postea sequitur vomitus cruentus, sanguis evacuatur saepe purus, rarius laete ruber, floridus, arteriosus, longe frequentius atro-ruber, nigricans, venosus, subinde tantum paucus ad aliquot uncias, saepe copiosus ad plures libras, et tunc pro parte liquidus, pro parte coagulatus. Saepe sanguis mixtus est cum alimentis et potulentis, vel chymo, muco, bile, subinde pure. Evacuatione facta, dum illa quantitate minori contingit, subinde symptomata molesta praegressa disparent, aeger levamen laudat; saepe tamen symptomata illa potius augentur, dolor in regione epigastrica, nausea intolerabilis, vomitatio continua vexant aegrum, ascendunt anxietas, inquietudo magna, cordis palpitatio, facies pallens, extremitates frigent, pulsus arteriarum evadunt parvi, sensus obfuscantur, aeger vertigine corripitur, et

facile in animi deliquium incidit, quae symptomata, pro parte, inducuntur a terrore. Durat talis vomitus per unum alterumve minutum, per quadrantem horae, dein remittit, cessat, quies tamen haec non diu durat, post quadrantem, medium vel plures horas recrudescunt symptomata una cum vomitu, et talis reversio contingit ter quater saepius etiam, donec symptomata omnia cum nausea et vomititione ex integro silent, sed nunc frequentissime est abdomen tensum, tumidum, quia sanguis in ventriculum effusus non evacuatur omnis per oesophagum, sed pro parte defertur in tubum intestinalem, ibi accumulatur, et dein instar diarrhoeas cruentae per unum alterumve diem excernitur.

§. 38.

Vomitus cruentus cum diarrhoea cruenta connexus, ut morbus chronicus jam ab Hippocrate descriptus fuit, vocaturque *melaena* seu *morbus niger Hippocratis*, cuius prodroma longiori tempore, subinde per annos plures praecedentia sunt: habitus corporis atro-biliosus, color faciei flavo-nigricans, dyspepsia, gastralgie, enteralgia frequenter recurrentes, appetitus cibi subindo nimius, saepe imminutus, alvus ut plurimum obstipata, animus morosus, tristis, in iram pronus; post haec prodroma comparet vomitus et diarrhoea, sanguis evacuatur nigricans, spissus, pici similis, *atrabilis* vocabatur; saepe sanguis evacuatus est singulariter aeris, fauces excoriens, dentes stupefaciens, non raro odorem foetidum spargens.

Fr. Hoffmann, Diss. de morbo nigro Hippocratis. Hala e. 1701

T. M. Gasser, Diss. de morbo nigro Hippocratis. Argentor. 1761.

T. J. Schonningh, Diss. de morbo nigro Hippocratis. Gröning. 1768.

Tissot, de morbo nigro Hippocratis. Lausanae. 1770.

Singer, Diss. de morbo nigro Hippocratis. Tiranviae. 1775.

Bryant, Diss. de melaena. Edinb. 1786.

Girard, Diss. de melaena. Argentorati. 1780.

Kuhn, Diss. de morbo nigro Hippocratis. Lipsiae. 1802.

§. 39.

E symptomatibus attenta mente collectis et combinatis summa cum probabilitate cognoscimus haematemesim et melaenam, naturam tamen individualem definire haud valimus, nisi causas morbi exquisiverimus.

Aliqui homines possident dispositionem peculiarem in hanc haemorrhagiam, haereditate acquisitam aut congenitam, in genere frequentius observatur in sexu foeminino, licet nec viri excepti sint; aetate juniori raro comparet, frequentissime intra annum aetatis trigesimum et quinquagesimum evolvitur, pertinetque ad casus rariores haematemesis in puella septemdecim annorum et in sene nonaginta annorum observata.

Dispositio haec peculiaris consistit saepe in statu morboso vasorum sanguiferorum lente evoluto, scilicet in dilatationibus morbosis, frequentissime varicosis, in vasis ventriculi tubi intestinalis, mesenterii, vasorum brevium lienem ac ventriculum nectentium, rarer dispositio consistit in extensione aneurysmatica arteriae coeliacae. Saepe nullum vitium organicum sensibus detegitur, a sola vitalitate abnormi dependet profluvium cruentum.

Causae excitantes sunt multiplices, varium statum morbosum vasorum ventriculi et tubi intestinalis inducere valentes, ita subinde per violentias externas, ut contusiones, vulnera, abdomini illatas contingit ruptura, rhexis vasorum dilatatorum; ita subinde varia ventriculo ingesta, ut ossicula acuta, acus, subinde cultri, forfices, vitrum contusum, in casibus rarissimis hirudines vasa vulnerant et haemorrhagiam traumaticam inducunt. Subinde per venena aeria, ut arsenicum, mercurium sublimatum corrosivum, butyrum antimonii, lapidem infernalem, acida mineralia concentrata, kali causticum, corticem mezerei, cantharides, vasa cerroduntur et sic sanguis effunditur; subinde talis diabrosis producitur per ichorem acrem ulcerum, post inflammationem praegressam efformatorum, in primis si degeneratio scirrhosa transit in carcinomati-

cam. Sacpius sine vulnere, sine ruptura, sine erosione vasorum sanguiferorum contingit haematemesis per solam secretionem morbosam, quae provocatur per ingesta nimis calida vel frigida, acria, spirituosa, stimulantia, emetica, purgantia drastica, subinde per saburram secretionem morbose generatam, biliosam vel verminosam; non raro cauae excitantes agunt in totum organismum, circulationem sanguinis accelerant, ut calor externus excessivus, motus corporis vehemens, animi affectus violentus, in primis ira, subinde suppressio evacuationum habitualium, fluxus catamenialis et haemorrhoidum; subinde tumores in cavo abdominis circulationem sanguinis impedientes, ut uterus tumidus, graviditas, frequentius infarctus hepatis ac lienis; propterea incident in hanc haemorrhagiam, qui vitam sedentariam dueunt, et animi moerore diu afficiuntur. Non raro provocatur morbus per febrim intermittentem, ita ut tempore paroxysmi symptoma praecipuum constituant haematemesis, quam nonnunquam febris putrida, scorbutus et morbus maculosus Werlhofii generant.

Pro diversitate momentorum pathogeneticorum variat character dynamicus haematemesis, in nonnullis casibus est energicus, cum inflammatione topica connexus; secundum Marcus est symptoma splenitidis, secundum Broussais gastro-enteritidis. Complicationes haec occurunt quidem, sed observamus etiam splenitides et gastro-enteritides sine ulla haematemesi, vicissim hoc profluvium cruentum occurrit, quin vestigium inflammationis detegi possit, imo saepe adest status asthenicus, cum irritabilitate morbose exaltata junctus, non raro status torpidus, paralyticus, in quem transit omnis haematemesis profusa, diu durans, et per febrem putridam, scorbutum vel morbum maculosum Werlhofii producta.

§. 40.

Diagnosi probabili constructa, prognosim etiam probabilem pronunciare valemus. Subinde decursus haematemesis est brevissimus, morbum acutum constituens dum

nempe characterem energieum, inflammatorium habet, et tunc haemorrhagia moderata, irritabilitatem morbose exaltatam imminuens salutaris est; tales haematemeses criticae sunt rarissimae. Subinde haemorrhagia haec est continua, saepe remittens, frequentissime intermittens, et quidem reversio contingit jam certo tempore, ut in mulieribus a suppressis catameniis omni mense, frequenter dum haemorrhoidum symptoma constituit, per annum bis, tempore nempe aequinoctii vernalis et autumnalis, saepe redit incerto tempore, dum per influxum diversarum potentiarum nocentium provocatur. Subinde haematemesis talis chronicā valetudinem relativam aegri parum laedit, saepius tamen diu durans inducit debilitatem magnam, habitum pallidum cacheeticum et hydropem. In casibus rarioribus aeger sub haematemesi subito extinguitur, dum nempe sanguis e ventriculo quantitate nimia ejicitur per oesophagum, subinde in pharynge coagulatus adhaeret, epiglottidem claudendo, respirationem impedit et sic aeger suffocatur, nisi thrombus extrahatur. Subinde parum sanguinis ejicitur vomitu et tamen aeger subito pallescit cadaveris instar, sndor frigidus prorumpit in fronte et collo, extremitates frigent, pulsus vix percipitur, sensus obfuscantur omnino, vox haeret in faucibus, aeger in animi deliquium incidit, et expirat. In cadavere reperitur sanguis coagulatus, nimia quantitate ventriculum extendens. In uno casu a J. P. Frank descripto, causa talis haematemesis letalis fuit aneurysma arteriae coeliacae in ventriculum ruptum. Nisi talia vitia organica arte invincibilia locum habeant, haematemesis saepe per therapiam rationalem curari potest.

§. 41.

In omni casu individuali statim urgemus, ut aeger quietem summam possibilem observet, vestimenta arctiora solvantur, temperatura externa moderate frigida procuretur, motus omnis intermittatur, nec ad alvum vel urinam evacuandam aeger surgat, sed aut supponatur receptaculum idoneum, aut evacuationem perficiat in lectum, nam

sub motu corporis facile incidit in animi deliquium et extinguitur; ideo etiam prohibemus omnem sermocinacionem, et arcemus, quidquid eum irritare et animum commovere posset. Dum haec coordinamus, conamur ex relatione saepe incompleta et incohaerenti et e symptomatibus praesentibus naturam individualem haematemesis definire. Causas excitantes adhuc praesentes removemus, si id fieri non potest, saltem actionem earumdem noxiam imminimus; ita si excitata fuerit haematemesis per corpora peregrina in ventriculum deglutita, mechanice vel chemice laetentia, cum illa evacuari semper non possint, ut minus noxia reddantur, exhibemus potum copiosum mucilaginosum, oleosum, lac dulce. Si forte, in casu rarissimo, hirudo deglutita fuisset, tunc sal communis, sufficienti quantitate aquae solutus optima medicina est; si evacuationes aliae cruentae, catameniorum vel haemorrhoidum suppressae fuerint, tunc revocandis his profluviis cura impendenda est; haematemesis periodica, symptoma febris intermittentis constituens, cedit cortici cinchonae, tempore apyrexiae exhibito.

Saepe causae excitantes jam remotae sunt, vel illico removeri non possunt, ut status morbos chronicus organismi, infarctus, obstructions, tunc indicationem curae desumimus a statu dynamico organismi totius, in primis autem a statu vasorum ventriculi et tubi intestinalis. Subinde omnia symptomata, sollicite examinata, nos convincunt de charactere haematemesis dynamico energico inflammatory, et in hoc casu contra vomitum cruentum haemorrhagia artificialis est indicata; saepe sufficient hirudines sex, duodecim, viginti quatuor ad regionem epigastricam, umbilicalem vel hypochondriacam sinistram applicandae, subinde ipsa venae-sectio necessaria est. Interim meminisse oportet, inter omnes haemorrhagias haematemesim rarissime habere characterem energicum, sanguinis evacuatione profligandum, sed in casibus longe plurimis characterem dynamicum esse asthenicum erethisticum, atque ideo indicata esse remedia, quae irritabilitatem

morbose exaltatam imminnere valent; hoc scopo post Marcus maxime commendatur liquor acidus Halleri, quem exhibemus ad guttas triginta in una libra aquae vel decocti emollientis, omni hora uno vel duobus cochlearibus, virtus tamen specifica ei tribui non potest, non raro alia remedia plus emolumenti praestant, ut aqua frigida, parva quantitate frequenter exhibita, cuius virtus subinde exaltatur addito aceto vel succo citri, vel acido tartari, vel acido minerali. Aqua minus exceptata praescribimus decoctum emolliens vel emulsionem amygdalarum dulcium, vel emulsionem oleoso-gummosam, semper dosi parva. Nec haec remedia semper votis satisfaciunt, vomitus cruentus revertitur iterum iterumque, cum inquietudine magna et doloribus, quia simul sensibilitas morbose exaltata est, ob statum peculiarem nervorum, constitutionem hysteriam vel hypochondriacam, in quo casu indicata sunt narcotica, ut digitalis purpurea, belladonna, aqua laurocerasi, acidum hydrocyanicum et opium.

§. 42.

Saepe interna remedia sola non sufficiunt, externa etiam in auxilium vocari debent, ut fomenta ex aqua frigida regioni epigastricae et abdomini imposita, subinde epispastica, sinapismi extremitatibus, cucurbitulae siccae abdomini impositae.

Dum haemorrhagia profusa debilitatem magnam cum torpore inducit, ut character morbi paralyticus evolvatur, tunc remedia roborantia, adstringentia indicata sunt, ut alumum in pulvere, vel solutum in aqua aut sero lactis, decoctum corticis cinchonae, radix ratanhiae, aqua et tinctura cinnamomi. Ad air maxime commendat olei destillati terebinthinae guttas decem cum vitello ovi subactas et aqua cinnamomi dilutas; his tamen praestantius est vinum generosum.

Aegri plurimi sub vomitu cruento incidentur facile in animi deliquium, ad quod removendum adhibemus, ut odoramenta, acetum vini bonum, rasuram radicis cochlearum.

leariac armoraciae, aetherei acetii, rarius spiritum cornu cervi, extremitates frigidas involvimus pannis calidis saepo renovatis, in majori gradu debilitatis recurrimus ad fo-menta ex vino, herbis aromaticis infuso, vel ex aceto aromatico cum camphora, quibus calidis immersimis pan- nis et expressos applicamus abdomini et extremitatibus, dein linteo calido obvolvimus.

§. 43.

Per methodum iandatam in plurimis casibus vomitus cruentus cessat, neque tamen adhuc eura absoluta est, nam vomitus ille facile revertitur, ad quod evitandum aeger debet adhuc longiori tempore summam quietem observare et corporis, et animi, in primis autem ventriculi irritatio omnis evitanda est, propterea tantum juscula tenuissima, gallinacea, et illa parva quantitate concedimus, pro potu aquam solam, vel decoctum emollientis. Post unum alterumve diem, vomitu omni silente, curam convertimus ad sanguinem e tubo intestinali evacuandum, qui non raro coagulatus tubum intestinalem replet, ut abdomen tu- midum et subinde dolorificum evadat; nonnunquam per ipsam autocratiam naturae producuntur alvi evacuationes necessariae, tunc tantum per potum aquae simplicis et decocti emollientis promovendae; dum autem tubo intesti- nali torpidiore existente alvus obstipa manet, sanguis ex- travasatus corrumpitur, febris gastrica, enteralgia, non- nunquam enteritis cum symptomatibus febris putridae ex- oritur, ad quod evitandum evacuationem suscipimus ma- ture; saepe sufficiente clysmata ex aqua tepida, vel de- cocto furfurum, cui axungiam, butyrum vel oleum addi- mus, vel decoctum furfurum cum aqua et aceto commen- damus. Si applicatio clysmatis molesta est, medicinam blande purgantem praescribimus, cremenem tartari, carbo- natem magnesiae cum saccharo, vel pulpam prunorum, arecanum duplicatum, salem mirabilem Glauberi, salem amarum in decocto graminis vel taraxaci. Evacuatione suf- ficiente subssecuta saepe nulla alia therapia necessaria est;

quam vitae regimen congruum ad evitandam irritationem majorem, quae congestionem in tubo alimentari inducere posset.

§. 44.

Subinde post haemorrhagiam valde profusam remanet debilitas magna, ita ut aeger post omnem motum corporis experiatur nauseam, vertiginem, propensionem in animi deliquium; ad hanc debilitatem tollendam adhibeimus aërem purum, siccum, juscum magis gelatinosum, subinde vinum parva quantitate, externe lotiones, in primis extremitatum cum aceto aromatico, camphorato; inter pharmaca nobis maxime profuit initio aether aceti ad paucas guttas, dein spiritus aetheris martialis.

Saepe post insultum superatum ad recidivam praecavendam cura longior necessaria est, ut status dynamico-organicus, haematemesi favens, removeri possit. In multis casibus haematemesis chronica et morbus niger Hippocratis dependent ab infarctibus venac portae et viscerum abdominalium, ideo in plurimis casibus est indicata methodus solvens, diu continuanda, ideo succi herbarum recentes, extracta taraxaci, saponariae, cichorei, acidulae solventes alcalinæ, in nonnullis casibus narcotica, in primis cicuta, belladonna, sunt insigniter proficia. Dunq infarctus illi sustentantur per debilitatem, tunc methodus roborans, summa cautela in usum vocari debet.

H A E M O R R H O I D E S .

§. 45.

Haemorrhoidis in genere vocatur profluvium cruentum ex intestino recto, ideo vocatur ab Alibert *haemoproctis*, a M. Good *haemorrhagia practica*. Neque tamen omnis sanguinis fluxus ex intestino recto ad hunc morbum pertinet; nam si intestinum rectum vulneretur per corpus pe-

regrinum quoquomodo intrusum, per tubuli rudem applicationem sub elysmatis usu, vel sub operatione chirurgica, si sub febri putrida; flava americana, scorbuto, haemorrhoea petechisante, et dysenteria, si sub epistaxi, stoma-torrhagia, pneumonorrhagia, haematemesi sanguis in tumulum intestinalem delatus, per anum evacuetur, tunc morbum haemorrhoidalem non constituit. Est enim morbus haemorrhoidarius status specifico abnormis vasorum sanguiferorum, quo evoluto congestiones majores in intestinum rectum comparent, et saepe e vasis haemorrhoidalibus sanguis profunditur. Ad diagnosim formandam attentio magna requiritur, quia pro diversitate extensionis, intensionis, complicationis morbi et constitutione individuali aegri variant symptomata, quae jam antiqui medici: Hippocrates, Celsus et Galenus descripserunt; accuratius tamen natura morbi illustrata fuit saeculo XVII. in primis conatu ingenioso esti Stahl.

G. E. Stahl, de rena portae, porta malorum, hypochondriaco-splenitico - suffocativo - hysterico - haemorrhoidariorum. Halae. 1698.

— De metu sanguinis haemorrhoidali et haemorrhoidibus extensis. Halae. 1698.

— De haemorrhoidum internorum motu et illo haematite. Hippocratis. Halae. 1698.

M. Alberti, Dissertationes academicue de haemorrhoidibus, in peculiare volumen collectue. Halae. 1719.

E. Stahl, Abhandlung von der goldenen Ader. Leipzig. 1720.

A. de Haen, Theses pathologicae de haemorrhoidibus. Vien-nae. 1750.

Seligman, Diss. de haemorrhoidibus albis. Göttingae. 1782.

F. Hildebrandt, Über die blinden Hämorhoiden. Erlangen. 1705.

W. Trnka de Krzowitz, Historia haemorrhoidum, omnis aevi observata continens, edid. F. Schraud. Viennae. 1794. 1795.

J. G. Knebel, Abhandlung über die Haemorrhoidal-krankheit. Breslau. 1798.

- F. A. May, die Haemorrhoiden, den Freunden dauerhafter Gesundheit gewidmet. Mannheim. 1802.
- J. W. H. Couradi, von den Hämorrhoiden. Marburg. 1804.
- A. J. Montégre, die Hämorrhoiden, ihre Erkenntniss und ihre Heilung, übers. a. d. Dict. des scienc. méd. Leipzig. 1821.
- G. L. Rau, Über die Erkenntniss und Heilung der gesammten Haemorrhoidal-Krankheit. Giessen. 1821.
- G. Calvert, A practical treatise on hemorrhoids. London. 1824.

§. 46.

Rarissime inchoat morbus hic sine prodromis, in casibus longe plurimis praecedunt ea per septimanas, menses, saepe annos, quae indicant statum organorum circulationis a normali recedentem: in genere experitur aeger calores et rubores cutis transitorios, cordis palpitationes, pectoris oppressionem, anxietates, inquietudines, vexatur cephala, vertigine, pervigilio, somniis terrificis; simul experitur symptomata, quae indicant in gradu eminentiori statum abnormem vasorum abdominalium et simul nervorum vitae organicae, nempe persentit in diversis regionibus abdominis dolores, in regione epigastrica forma gastralgiae, cardialgiae, in regione umbilicali forma enteralgiae, in regionibus hypochondriacis forma hepatalgiae aut splenalgiae, in regionibus lumbalibus forma nephralgiae, in regione hypogastrica forma urocystalgiae et hysteralgiae. Dolores hi transitorii sunt, frequenter revertuntur, jam obtusiores, jam acutiores. Simul observantur perturbations organorum digestionis et chylificationis, appetitus cibi jam nimius, jam nullus, ructus saepe acidi, flatus molesti, alyus frequentissime obstipa, dura; subinde sentitur dolor, einguli instar thoracem constringens, qui excitatur a contractione spasmodica diaphragmatis. Non raro accusat aeger dolores in genitalibus, peni, testiculis, utero, vagina cum erectionibus molestis, stimulo veneris majori, mox iterum tristis expetit consilium contra impotentiam; ita symptomata variant, quia cum statu mor-

boso vasorum sanguiferorum simul hypercinesia hypochondriaca vel hysterica conjuncta est.

Licet phaenomena diversa nunc enumerata profluvii haemorrhoidalis evolutionem praecedere solent; tamen ex illis symptomatibus solis, nisi aeger fluxum haemorrhoidalem jam antea habuerit, eundem cum probalitate praedicore haud valemus; nam saepe post illa prodroma comparet morbus alter, in quem aeger dispositionem majorem habet, et quidem subinde haemorrhagia alia, ut haematemesis, morbus niger Hippocratis, subinde arthritis, subinde lithiasis renalis vel urocystica, subinde hypochondriasis sola vel melancholia, subinde nullus morbus evolvitur, sed cessante influxu potentiarum nocentium status normalis vasorum sanguiferorum et nervorum vitae organicas per solam autoeratiam naturae reducitur; quod nisi contingat, dispositio haemorrhoidalis increscit, prodroma redduntur molestiora et novis augentur; plurimi aegri persentient dolorem, saepe tantum obtusum, saepe acutum in regione sacrali, aesi corpus peregrinum, durum, obtusum intestino recto insixum esset, qui dolor extenditur secundum longitudinem spinae dorsi versus regionem occipitalem, per regionem perinaciam, gluteam unam vel ultramque, femur; ideo difficulter sedet et erigit se aeger, facilis stat et ambulat. Similiter persentit aeger majorem cephalaeam, vertiginem, inquietudinem, cordis palpitationem, animum morosorem, pervigilium; accedunt non raro symptomata febrilia cum flatulentiis, ructibus et alvo pertinacissime obstipa, ita ut evacuatio contingat excrementorum durorum, globosorum, scybalorum, cum adstrictione nimia.

§. 47.

Postquam sic aeger exerciatus fuit per plures vel pauciores dies, tunc contingit haemorrhagia, subinde in somno, subinde aegro vigilante insensibilis si scaturigo profluvii sit a vasis sanguiferis extra sphincterem ani possitis; in plurimis casibus sedes haemorrhagiae est supra

sphincterem ani in ipso intestino recto; et frequentissime sub alvi evacuatione, aut sub ipso nisu alvum evacuandi, ante expressionem foecum, vel simul cum foecibus, vel post foecum depositionem effunditur sanguis, qui rarissimis in casibus est laete ruber, arteriosus, in longe plurimis atro-niger, venosus, subinde purus, saepe muco, subinde pure vel foecibus mixtus; non raro conspicitur tantum in superficie foecum durarum, saepe exhalat odorem peculiarem, quem nasus expertus in distantia etiam majori animadvertisit. Quantitas evacuati sanguinis variat, subinde est pancarum guttarum, drachmarum, subinde plurium unciarum, in casibus rarioribus plurium librarum, contingitque evacuatio subinde sine molestia, saepe cum dolore, sensu ardoris, adstrictione magna, sub qua etiam prolapsus ani locum habet. Post evacuationem subinde symptomata cuncta molesta, aegrum prius vexantia, disparent ex integro, nec amplius revertuntur, quales casus tamen rarissimi sunt, nam haemorrhagia haec semel evoluta facile habitualis evadit, et aegrum diu vexat, initio per diem revertitur bis, ter, quater, in nonnullis casibus tantum noctu in somno, saepius tantum tempore evacuationis alvi, apud nonnullos sine intermissione fluit, vel stillat; ita durat haemorrhagia jam continua, jam remittens per duos, decem, quatuordecim dies, vel plures septimanas; dein cessat ex integro, et non revertitur, nisi post unum alterumve annum; dein evadit magis habitualis, invadit aegrum omni anno bis, ut plurimum temporo aequinoctii vernalis et autumnalis; dein redit omni quadrante anni, omni mense, omni septimana, tandem quotidie, et organismus haemorrhagiae huic ita assuescit, ut si per aliquas causas retineatur vel supprimatur, diversae molestiae exoriantur.

In morbo quidem pleno evoluto semper observamus haemorrhagiam haemorrhoidalem, sed saepe adest morbus molestus sino haemorrhagia; quippe non raro in intestino recto jam in statum abnormem conjecto locum habet secretio morbosa muci largioris, dicitur *cataarrhus* vel

biennorrhœa intestini recti, estque secretio haec saepe cum doloribus juncta, mucus odorem spargit in gratum, acrior partes contactas excoriat. Saepe fluxu qualicunque praegresso, vel nullo adhuc observato, evolvuntur in marginibus ani extra sphincterem, saepius supra eundem tumores jam parvi, ad magnitudinem pisi, jam incrementales ad magnitudinem nucis juglandis, subinde ovi gallinacei, figuræ variae, rotundæ, ovalis, saepe angulosæ, basi jam lata, jam petioli opè cuti adhaerentes, saepe cuti concolores, non raro præerubri, livescentes, saepe indolentes, tantum alvi evacuationem impedientes, saepe valde sensiles, inflammati et valde dolentes, vocantur varices, mariscae, haemorrhoides sacatae, tumores, nodi haemorrhoidales, qui subinde enascuntur per dilatationem morbosam venarum intestini recti, saepius per telam cellulosam, in quam sanguis jam minori, jam majori quantitate effunditur, et coagulatur; ideo tumores hi jam moliores, jam duriores sunt.

§. 48.

Ex phaenomenis adlati intelligimus differentias morbi haemorrhoidalis ab auctoribus stabilitas. Haemorrhoides manifestæ dicuntur, ubi tam symptomata universalia, quam topica ita evoluta sunt, ut de statu morbo proprio nullum dubium esse possit; ubi vero sine topicis affectionibus ullis solummodo symptomata universalia ab hoc morbo produci solita se manifestant, vocantur haemorrhoides occultæ. Dum symptomatibus universalibus praegressis evolvuntur etiam symptomata topica, ipsum profluvium cruentum annunciantia, dieuntur molimina haemorrhoidum; ubi sola symptomata topica observantur, dicitur morbus haemorrhoidarius topicus; ubi vero praeter illa comparent etiam symptomata statum abnormem cordis et arteriarum indicantia, dicitur morbus haemorrhoidarius universalis; dum sine omni profluvio tantum tumores haem-

morroidales progernerantur, vocantur haemorrhoides coecae, ut distinguantur a haemorrhoidibus fluentibus, ubi profluvium locum habet, et quidem vel cruentum (haemorrhoides rubrae), vel mucosum (haemorrhoides albae); dum profluvium contingit extra sphincterem ani, et tumores haemorrhoidales visu cognosci possunt, vocantur haemorrhoides externae, dum vero haemorrhagia contingit supra sphincterem ani, et tumores in intestino recto ita reconditi sunt, ut subinde nec digito attingi possint, dicuntur haemorrhoides internae, quam ultimam distinctionem Ern. Stahl alio fundamento superstruxit; quando nempe haemorrhagia venit e vena haemorrhoidalii interna, ramo venae mesaraicae superioris, quae est ramus principalis venae portae, tunc vocavit haemorrhoides internas; ubi vero profluvium cruentum venit e vena haemorrhoidalii interna, ramo venae hypogastricae internae, quae est ramus iliaca internae, derivatae e vena cava inferiori, tunc vocavit haemorrhoides externas; interim disquisitiones anatomico-pathologicae omni studio susceptae differentiam hanc non comprobarunt, sed docuerunt sanguinem profundi jam ex ramis venarum, jam ex ramis minimis arteriarum.

§. 49.

Ut naturam individualem morbi haemorrhoidalis definire valeamus, semper causas etiam ejus exquirere debemus; situs erectus, vasorum sanguiferorum copia magna in cavo abdominis praedispositionem generat universalem in omni homine ad haemorrhoides; aliqui tamen dispositionem habent peculiarem congenitam, vel haereditatem acquisitam; nam observatio haud rara est, membra ejusdem familiae per successivas etiam generationes, ubi certam vitae periodum attigerint, in morbum haemorrhoidalem incidere. Dispositio haec evolvitur per aetatem ita, ut frequentissime morbi symptomata compareant aetate virili inter annum aetatis trigesimum et quinquagesimum; affliguntur quidem morbi hujus symptomatibus et senes,

sed jam citius evolutis; observamus quoque morbum in junioribus, qui dispositione congenita eminentiori instructi sunt, et in quos potentiae nocentes mature et diu egerunt, nam per influxum talium potentiarum nocentium dispositio latens provocatur, et praesens exaltatur. Tales causae praedisponentes sunt:

Refrigerium: per actionem frigoris diurnam in cutim congestio sanguinis major locum habet in partes internas, ideo morbus haemorrhoidarius frequens in regionibus frigidis, raro sub tropicis;

Potus spirituosi: quae etiam causa una praedisponens et excitans est apud gentes septentrionales, nam potibus spirituosis non tantum utuntur, sed abutuntur;

Vita sedentaria: ideo opifices, labores suos sedendo perficientes, scribae et eruditi, in primis, qui sine propensione singulari condemnati sunt ad labores literarios, frequenter haemorrhoidibus laborant;

Sexus: virilis frequentius hanc haemorrhagiam experitatur, ideo E. Stahl docuit, in viris haemorrhoides subire vices catameniorum, sed neo mulieres catameniis instructae semper excipiuntur ab hac haemorrhagia.

Dispositio haec peculiaris consistit in statu vasorum haematophororum, venarum, arteriarum, cordis, in specie vasorum haematophororum cavi abdominis, in primis intestini recti ita, ut in his vasis facile locum habeat congestio morbosa, producens ipsius sanguinis mutationem, et citius vel tardius profluvium.

Dispositione praesente provocant morbum diversae causae excitantes, quarum nonnullae agunt immediato in tubum intestinalem, ut alvus pertinaciter obstipa, scybala nimis dura, adstrictio nimia sub alvi evacuatione, irritatio tubi intestinalis frequens per elysmata copiosa, equitatio excessiva; aliae causae circulationem sanguinis in cavo abdominis impediunt vasa comprimendo, ut subinde femoralia angusta, uterus gravidus, tumores viscerum abdominalium, in primis hepatis et lienis; saepe causae excitantes ventriculum, tubum intestinalem et reliquum or-

gansum irritant, ut vita lauta, in primis otiosa, alimenta copiosa ingesta, in primis nera, dura, aromatica, potulenta spirituosa et calefacentia, pharmaca, in primis purgantia drastica, frequentissime aloetica, subinde venena deglutita; non raro animi affectus vehementes, et quidem ira irritationem, moeror autem congestionem producendo; excessus in venere, exaltando hypercinesiam abdominalem et provocando congestionem majorem, concurrunt ad excitandas haemorrhoides, quae latentes evolvuntur post alios morbos praegressos, ut inflammations partium diversarum in cavo abdominis, post diarrhoeam, dysenteriam, febres intermittentes, morbos cordis, circulationem sanguinis vario modo perturbantes.

Per actionem unius aut plurium causarum producuntur in organismo status diversi, causam proximam morbi haemorrhoidalis constituentes. Subinde ob dispositionem tantum topicam in vasis sanguiferis intestini recti existentem, producuntur symptomata congestionis majoris sanguinis in intestino recto, ita ut cum nodis compareant molimina haemorrhoidalia et tandem fluxus haemorrhoidalis; talis tamen status rarer est, frequentissime status abnormis latius extenditur, potentiae nocentes et symptomata morbi indicant statum abnormem viscerum cavi abdominis, quem jam Hippocrates et Galenus agnitus derivarunt ab atra bile; Ern. Stahl probavit, atram bilem antiquorum nil aliud esse, quam sanguinem peculiariter immutatum, eansamque proximam morbi esse plethoram abdominalem, congestionem nempe sanguinis majorem in vasa abdominis, in primis in venam portae, cuius rami in cadaveribus saepe varicose extensi reperiuntur. Plethoram hanc abdominalem ipsa symptomata morbi in vivis collecta annunciant, nec tamen ab illa natura morbi omnis explicari potest, observationes in aegris multis institutae nos convincunt, symptomata et prodroma, et concomitantia, et subsequentia talia esse, quae indicant statum abnormem ipsius cordis, arteriarum et venarum, ut hoc multis argumentis demonstravit Kreyzig in opere suo

classico de morbis cordis. Subinde per causas energiam vitae exaltantes, per diaetam lautam, animi affectus, motus corporis vehementes, activitas cordis et arteriarum ita excitatur, ut ob dispositionem in vasis sanguiferis abdominalibus contingat congestio morbosa, transiens in haemorrhagiam intestini recti, atque tunc effunditur sanguis arteriosus, floridus, laeto ruber; in casibus tamen longe plurimis sanguis evacuatus est nigricans, venosus.

Ex combinatione symptomatum et causarum nocentium possumus characterem dynamico-organicum individualem morbi haemorrhoidalis definire, et tunc per reflexionem pronunciamus etiam sententiam probabilem de exitu ejus.

§. 50.

Morbus haemorrhoidarius, in casibus tantum rarissimus acutus, longe frequentius chronicus, habitualis est; accedit tamen non raro, ut post haemorrhagiam moderatam subsecutam symptomata molesta molimina constituentia dispareant, et aeger levamen sentiat, ideo declaravit E. Stahl haemorrhoides esse criticas, salutares, pro sanitate virorum ita necessarias, ut fluxus catamenialis apud foeminas. Verum est, dum per fluxum haemorrhoidalem plethora universalis et abdominalis imminuitur, haemorrhagiam esse vere criticam et salutarem, sed characterem hunc non exhibet semper; subinde haemorrhagia est valde profusa, sanguis ad plures etiam libras spatio nycthemeri profunditur, et tunc pallor cutis, extremitatum frigus, cordis palpitatio, nausea, vomitritio, sensuum obfuscationes et animi deliquia comparent. Saepe et sine profluvio molestus est morbus, tumores haemorrhoidales in intestino recto evoluti evacuationem alvi reddunt valde molestam; dum per quameunque causam inflammantur, dolor evadit intolerabilis, extensus in regione sacrali ac perinaea, cum tenesmo dolorifice ad alvum evacuandam, quam inter dolores et cruciatus vix perficere valet; excitantur per consensum symptomata febris, deliria et spasmi; propterea vocantur tales haemorrhoides furentes, quae neglectae fa-

etile transeunt in suppurationem, et sic efformantur ulceræ sinuosa, fistulas ani; subinde tumores hi indurantur et faventibus circumstantiis in scirrum et carcinoma degenerant, rarius in gangraenam terminantur. Saepe etiam haemorrhoides fluentes molestæ et periculosæ evadunt, quod natura illis assuetus est adeo, ut ad sanitatem relativam necessariae sint; si ergo per refrigerium vel errorem in diaeta commissum, usum aromaticorum et stimulantium, per animi affectum, motum corporis violentum vel morbum alium haemorrhagia haec supprimatur, casset, tunc contingit congestio sanguinis morbosa in aliis partibus, et pro harum dispositione evolvuntur phænomena morbosa varia; sic subinde fit congestio sanguinis in organa uropoetica, atque in his partibus enascuntur dolores, secretio et excretio urinæ impeditur, dysuria, stranguria, ischuria, non raro haematuria inducitur; subinde congestio sanguinis major contingit in organa genitalia, ideo in viris observantur extensiones varicosæ venarum in peni et funiculo spermatico, subinde erectiones frequentiores molestæ et ipsa urethrorrhagia; in mulieribus excitatur hysteralgia, haemorrhagia uteri, pruritus molestus, fluor albus. Subinde a suppressis haemorrhoidibus congestio sanguinis major locum habet in tubum alimentarem ita, ut venæ varicose extensæ reddantur, inde dysphagia, gastralgia, enteralgia, vomititio-nes, haematemesis, stomatorrhagia; dum autem in organa respirationis contingit, tussis chronica, dyspnoea, asthma, pneumonorrhagia locum habent; per congestionem in cutim factam producuntur varices et subinde sudor eruentus; per congestionem autem in partem aliquam systematis nervosi inductam excitantur dolores, spasmi, paralyses et apoplexia. Unde patet, morbum haemorrhoidalem non tantum ob durationem longam molestum, sed etiam periculis multis junctum esse, nam post haemorrhagiam profusam evolvuntur tabes, febris hectica, hydrops morte terminandus, nisi per therapiam rationalem incremento morbi obices positi fuerint.

§. 51.

Ob effectus molestos per morbum haemorrhoidalem produci solitos non sequimur consilium Ernesti Stahli, ut moliminibus quibusdam observatis, statim conetur fluxum haemorrhoidalem producere, immo vero praecavere studemus evolutionem ulteriore morbi, quod non raro assequimur, removendo causas cunctas, morbo generando faventes; ideo dissuademus vitam otiosam sedentariam, commendamus potius vitam activam, cum motu corporis moderato, nullo die intermittendo; dissuademus alimenta copiosa nimis nutrientia, aromatica, stimulantia, potus spirituosos, potum coffeac fortioris; commendamus victum blandum, dosi moderata, pro potu aquam puram, temperaturam externam moderatam, nam et calor nimius, et refrigerium nocent, atque subinde per solum vitae regimen recte coordinatum, symptomata prodroma morbi iterum dissipantur. Rarius tamen consilium medicum expetunt aegri, dum prodroma haemorrhoidum prima se insinuant, sed dum molimina haemorrhoidalia in gradu eminentiori, in ipso intestino recto evoluta sunt; non raro et tunc per therapiam rationalem ulterior evolutio morbi molesti impediri potest. Quia aegri sub hoc stadio persentinent dolorem obtusum in regions sacrali cum alvo obstipa, ideo passim adhibentur purgantia, et quidem drastica, in primis alöetica, quae tamen minime commendare valemus. Symptomata omnia sub stadio moliminum haemorrhoidalium indicant statum irritativum ad inflammatorium accedentem vasorum abdominalium, in primis intestini recti, ideo commendamus vitae regimen antiphlogisticum strictum, quietem animi et corporis, temperaturam externam moderate calidam, victum blandum vegetabilem, aquam frigidam puram, quibus addimus subinde succum citri, cremen tartari, acidum tartari vel nitrum. In nonnullis easibus methodus haec minor votis haud respondet, irritatio in corde et arteriis continuat, molimina haemorrhoidalia per dolores capitis, sacrales, pervigilium, inquietudinem, alvum pertinaciter

obstipam, febrim charactere inflammatorio notatam augentur, tunc necessaria est sanguinis evacuatio, subinde etiam repetita, non quidem per hirudines prope ad anum applicatas, quae facile provocarent haemorrhoides, sed potius per phlebotomiam in brachio institutam. Dispositione haud eminenti in gradu congenita, nec per influxum potentiarum nocentium valde exaltata, morbi molesti evolutionem impeditus, secus eam tantum differimus, et morbo evoluto, sub triplici statu objectum therapiae constituant haemorrhoides, nempe dum sunt fluentes, coecae, vel suppressae.

§. 52.

Dum haemorrhoides fluentes sunt, attendinus ad effectus in organismo sese manifestantes; non raro sub fluxu moderato aeger levamen experitur, molimina molesta imminuuntur, et disparent, ideo tunc ad fluxum suppressendum therapia nulla est necessaria; tantum consulimus aegro, ut evitet causas, quae profluvium hoc salutare excessivum reddere, vel suppressore valent; ideo vitam ducat magis moderatam, irritamenta omnia, ut calorem externum exaltatum, aromata, spirituosa, animi et corporis motus vehementes solicite vitare debet; eo magis si profluvium contingere majori quantitate et diutius continuaret, tunc quies corporis et animi est summe necessaria, diaeta blandissima, aqua frigida, moderate sumta, vel decoctum emollientis cum oxymele simplici vel acido tartari vel syrupo berberis, rubi idaei, vel emulsio amygdalarum dulcium, pulveres e cremore tartari cum carbonate magnesiae et saccharo, profluvio adhuc diutius continuato, gradu aliquo debilitatis sese insinuante, ad haemorrhagiam moderandam addimus aquae vel decocto emollienti acidum sulfuricum dilutum, vel liquorem acidum Halleri; his haud sufficientibus exhibemus dosi refracta ipecacuanham, subinde digitalem purpuream vel opium, et quidem saepius in connubio cum liquore acido Halleri vel cum ipecacuanha.

Rarior est casus, ubi post remediorum laudatorum usum profluvium haemorrhoidale continuat, et statum de-

bilitatis majorem, ad paralyticum accendentem inducit, quo in casu ad pharmaca potentiora recurrere cogimur, et quidem interne alumen, serum lactis aluminosum, decoctum corticis chiae cum spiritu vitrioli, vel liquore acido Halleri, subinde tineturam cinnamomi, vel ratanhiae, optime vinum generosum exhibemus; externe fomenta ex aqua frigida sola, vel cum aceto mixta et frequenter renovata imponimus regioni sacrali, perinaeae, abdominali, consulente Bell partem intestini tenuis ovilis una parte ligatam, ope styli intrudimus intestino recto, aqua dein frigida replendam. Interim stimulantum horum externorum et internorum rarissima est necessitas, nam in plurimis casibus haemorrhagia moderata per ipsam autocratiam naturae producta, postquam per dies pauciores aut septimanas plures duravit, cessat ex integro, quin tamen cura morbi absolute sit; nunc pars curae principalis, ut impediatur reversio et moliminum haemorrhoidalium et fluxus haemorrhoidalis, coordinari debet.

§. 53.

Ut curam radicalem perficere valeamus, conamur causas excitantes morbi sollicite removere, dein vero curam dirigimus contra statum dynamico-organicum abnormem, per quem plethora abdominalis, in specie vasorum sanguiferorum intestini recti sustentatur. Non raro causa generans ac sustentans morbi est status inflammatorius chronicus mitior in corde ac sanguine ipso, tunc vitae regimen antiphlogisticum longiori tempore continuandum est maxime indicatum. Saepe momentum sustentans constituunt infarctus viscerum abdominalium, in primis systematis venarum portarum, tunc methodus solvens pro diverso statu individuali aegri modificanda adhiberi debet; ad alvi obstipationem molestam evitandam commendamus aegro, ut vesperi ante decubitum poculo aquam puram vel saccharatam bibat, mane antequam surgit, abdomen totum panno asperiore, vel setaceo molli fricet, vel oleo blando olivarum aut amygdalarum dulcium vel unguento emolliente vel quod efficacius

est, sapone aquae tepidae immerso inungat; pro usu interno fructus horrei maturi recentes, ut cerasa dulcia, pruna, botri dulces medicinam solventem optimam constituunt; verno tempore succus recenter expressus herbae et radicis taraxaci, cichorei, herbae cerefolii, fumariae vel in defectu succorum recentium extracta taraxaci, cardui benedicti; saponariae, fumariae, subinde in connubio cum areano duplicato vel sale mirabili Glauberi, insigniter prosunt. Saepe tamen majorem efficaciam exerunt acidulae, alcalinae dictae; ita in sanandis haemorrhoidibus non sine fundamento celebrantur acidulae Egeranae salsa dictae; efficaciam haud minorem habent acidulae Füredienses ad fontem hau-stae, in Transylvania acidulae Borszékienses. Insigniter prosunt aquae thermarum Budensium et forma potus et forma balnei adhibitae, quarum efficacia dependet a particulis salinis et sulfureis; nam effectu salutari adhibentur etiam flores sulsuris in pulvere, frequentissime in connubio cum magnesia, cremore tartari et saccharo albo praescribimus, evacuatione alvi haud obtenta, ob torporem majorem tubi intestinalis, vestigio inflammationis nullo praesento, in vicem tremoris tartari substituimus areanum duplicatum vel salem mirabilem Glauberi, addita gummiresina guajaci. Per methodum hanc blandiorem solventem in plurimis casibus utilem, subinde symptomata morbi molesta non imminuantur, potius augentur, dum scilicet infarctus et plethora abdominalis conjuncti sunt cum irritabilitate morbose exaltata, ita ut in vasis ipsis sanguiferis constrictiones spasmoticae locum habeant, tunc in subjectis hysterics et hypochondriacis indicata sunt narcotica, hyoscyamus, cicuta, digitalis purpurea, aqua laurocerasi, subinde opium, nunquam tamen diu continuanda.

Non raro symptomata morbi haemorrhoidalis molesta sustentantur per debilitatem conspicuam in primis in organis digestionis et chylificationis, tunc pharmaca blanda corroborantia, ut herba centaurei minoris, cardui benedicti, trifolii fibrini, quassia, his longiori tempore adhibitis praeparata martis, acidulae martiales, subinde et cortex cin-

chonae utiliter adhibentur, virtutemque illorum adjuvat vi-
tae regimen roborans, et vinum bonum antiquum.

§. 54.

Per therapiam laudatam, statui individuali aegri adac-
quatam, impeditimus saepe reversionem haemorrhagiae mo-
lestas, nec tamen propterea aegrum liberamus ab incom-
modis omnibus.

Excruciatur per haemorrhoides coecas seu tubercula
haemorrhoidalia, quae alvi evacuationem impediendo mo-
lestias multas excitant; ideo conamur tumores hos resol-
vere, quod obtinetur non raro per lotiones, fomentationes
eum aqua frigida, quotidie ter, quater renovatas; adhuc ef-
ficacius est balneum frigidum. Etiamsi per applicationem
aquaee frigidae resolutio tuberculorum integra haud subsequi-
tur, tamen diathesis inflammatoria tollitur, quod ipsum
magnum emolumentum est; nam tubercula aegrum quam
maxime excruciant tunc, dum inflammatur, et nisi re-
solvantur, transeunt in suppurationem molestam. Ideo in
singulo tali casu tubercula inflammati resolvere studemus,
quem in finem aquam frigidam applicamus, nisi idiosyn-
crasia aegri hoc prohibeat; aliqui enim homines, in primis
teneriores, post applicationem frigoris experiuntur sym-
ptomata febrilia, spasmos et dolores majores, his ergo
commendamus unguentum blandissimum emollientis, maxime
laudatur butyrum cacao, quod tamen nos rarissime praesciri-
bimus, quia rarius recens, rancidum potius irritat, et quia
non plus praestat, quam axungia porci recens vel butyrum
recens, oleum, vel unguentum althaeae; saepe ad dolores
mitigandos nos optimo successu adhibemus cataplasmata
emollientia, rarius addimus narcotica, in primis herbam ci-
cuteae. Dum phlogosis tuberculorum intensior methodo mi-
tiori antiphlogisticae resistit, tunc sanguinis evacuatio arti-
ficialis necessaria est per hirudines in vicinia tumorum
haemorrhoidalium applicitas; si phlogosis intensior metum
gangraenae excitat, tunc in ipsis tumoreis incisio vel sca-

rificatio instituenda est, et per cataplasmatis emollientis applicationem haemorrhagia moderata sustentanda.

Dum cura tuberculorum inflammatorum congrua neglecta symptomata suppurationis incipientis evolvuntur, tunc regimen vitae viribus aegri accomodum suademus, externe ad tubercula inflammata interdiu cataplasma emollientia, calida, noctu vero emplastrum meliloti vel cicutae cum gummiresinoso junctum commendamus; abscessus maturus saepe sponte aperitur, quo haud contingente, quamprimum tactu maturitatem agnoscimus, cultri ope aperimus, deligationemque quotidie perficimus usque ad cicatrisationem plenam, ne ulcus taediosum, sinuosum vel fistulosum enascatur.

Tumor haemorrhoidalis nec resolutus, nec per suppurationem sublatus transit in statum indurationis, quod saepe per autocratiam naturae resolvitur; arte adjuvamus, adhibendo initio unguentum althaeae, dein junctum cum cicuta, solutionem saponis, salis ammoniaci; saepe maxime profuit unguenti althaeae, cicutae, hydrargyri cinerei ana, quotidie bis peracta inunctio. Rationale foret tentamen caustum cum unguento ex kali hydrojodico. Remediis tamen his longiori tempore incassum adhibitis aegro commendamus, ut ab omni ulteriori tentamine studiose abstineat; tubercula parva tolerantur facile, majora vero evacuationem alvi impedientia, utpote morbum topicum constituentia, secure auferri possunt per ligaturam, aut culfrum; in primis si observetur propensio tuberculorum horum in degenerationem scirrhoso-carcinomaticam, tunc quantocius extirpanda sunt, secus degeneratio carcinomatosa fatalis partem majorem intestini recti comprehendit et statum aegri miserrimum reddit.

H A E M A T U R I A.

§. 55.

Haematuria s. mictus cruentus dicitur profluviū cruentum e renibus, ureteribus, vel vesica urinaria, per urethram contingens ita, ut in plurimis casibus sanguis urina mixtus evanescat; ideo urina colore rubro tineta est, quiete sanguis coagulatur; et praecipitatum rubro-fuscum efformat. Visu quidem cognoscimus sanguinem urinae immixtum, attentio tamen necessaria est, ne omnem urinam rubro colore tintam pro cruenta declaremus; nam non raro ab ingestis, ut radice rubiae tinctoriae, bacis rubi idaei, balsamo peruviano, radice rhei; a morbis nonnullis, ut febri inflammatoria intensa, polycholia, hydrope urina redditur rubra. In his casibus dubiis distingui potest sanguis urinae immixtus, quod linteum album vel charta alba urinae sanguine mixtae immersa tingatur colore rubro, quod non observatur in urina per aliam causam rubra; praeterea praecipitatum rubrum vel fuscum ab aliis causis inductum per sales urinae in primis urates efformatum calore majori solvitor, praecipitatum autem a sanguine calore magis coagulatur, utpote fibrinam s. lympham coagulabilem sanguinis continens.

Ammān, Diss. de mictione cruenta. Lipsiae. 1673.

Waldschmid, Diss. de mictione cruenta e suppressione haemorrhoidum. Kieliae. 1699.

Alberti, Diss. de mictu cruento. Halae. 1710.

Fr. Hoffmann, Diss. de haemorrhagiis viarum urinariarum. Halae. 1720.

Jagwitz, Diss. de mictu cruento a renum vitio. Lugd. Batav. 1730.

J. Juncker, resp. Heyer, Diss. de haemorrhoidibus vesicæ. Halae. 1747.

Hesselmann, Diss. de haematuria nephritica. Leydae. 1768.

§. 56.

Sub mictu eruento attentionem nostram dirigimus ad qualitatem et quantitatem sanguinis evacuati; subinde conspicimus sanguinem rubrum, coccineum, arteriosum, saepius nigrum, venosum, jam purum, tantum urinae mixtum, jam muco copioso, pure, subinde ichore inquinatum et foetidum, saepe quantitatis parvae, paucarum guttarum, drachmarum, subinde plurium unciarum, imo librarum. Similiter attentionem dirigimus in symptomata cuncta, quae hanc evacuationem praecedunt, et comitantur, ut definire valeamus fontem, e quo scaturit haemorrhagia, sitne haematuria renalis, ureterica, vel urocystica; subinde sine prodromis ullis praegressis subito urina evacuatur cruenta, et in tali casu non valeamus definire partem organorum uropoeticorum, ex qua sanguis profunditur; saepius tamen praecedunt et comitantur longiori tempore diversa symptomata, e quibus attente collectis cum summa probabilitate definire valemus sedem haematuriae.

In haematuria renal i persentit aeger in regione lumbali, renali alterutra, rarius utraque dolorem jam obtusum, jam valde acutum, prementem, scindentem, pungentem vel ardentem, qui extenditur frequentissime versus femur lateris affecti, versus genitalia, in viris versus scrotum, ut accusent contractionem dolorificam testiculorum; extenditur versus regionem umbilicalem et epigastricam, ita ut gastralgia, enteralgia, vomititio, imo vomitus locum habeant. Dolor hic in regione lumbali fixus, sub quiete in situ horizontali ut plurimum silet, tantum sub motu corporis, concussione, vecctione per strata asperiora intensior evadit. Postquam hi dolores per vices silentes et iterum recurrentes breviori vel longiori tempore duraverunt, aeger observat molestiam in evacuatione urinae, quae sanguine minori vel majori quantitate mixta est.

§. 57.

Diagnosis haematuriae uretericae est difficultior, nisi status morbosus in uretere uno, vel utroque evol-

vatur in gradu eminentiori; subinde nempe status inflammatorius jam mitior, jam intensior praecedit et comitatur hanc haemorrhagiam, a regione lumbali versus regionem pubis persentitur dolor jam obtusus, jam acutus, ad pressionem externam augendus: exploracione attente instituta detegitur tumor oblongus, qui producitur per sanguinem e renibus in uretere delatum, vel in ipso uretere effusum, quo ureter subinde extenditur, ut erassitiem habeat digiti, subinde intestini tenuis; sanguis in uretere coagulatur, evadit polyposus, efformantur tubuli oblongi, albo-flavescentes, qui obstruendo ureterem, evacuationem urinae impediunt; non raro tales cylindruli sunt in medio perforati vel sulcati, urinam transmittentes, donec ipsi hi tubuli in vesicam urinariam deferuntur et per urethram non sine molestia evacuat; vermes referunt.

§. 58.

Frequentior est haematuria urocytica seu vesicalis, quam cognoscimus, quod nulla symptomata praecedunt statum morbosum rerum vel ureterum indicantia, sed aeger persentit jam breviori, jam longiori tempore in regione hypogastrica, perinaea, dolorem prementem, tendentem, pungentem, scindentem vel ardentem, ad pressionem omnem externam augendum, qui extenditur per femora, abdominis partem majorem usque umbilicum, imo usque regionem epigastricam, excitat inquietudinem magnam, anxietatem, saepe nauseam, vomititionem. vomitum, nisum frequentem urinam evacuandi, quae evacuatio contingit tantum guttatum, cum adstrictione magna, atque his praegressis evacuat sanguis urina mixtus,

§. 59.

Ut naturam individualis haematuriae definire valeamus, conamur semper momenta etiam ejus pathogenetica exquirere. Organa uropoetica omnia in sua superficie interna obvestita sunt membrana mucosa molli, per quam vasa sanguifera copiosa distributa sunt; ad renes praeterea

adducitur sanguis copiosus per arterias renales crassas, ac ita per fabricam ipsam organicam inducitur dispositio generalis ad haemorrhagiam, quae tamen ad rariores pertinet, nisi adfuerit dispositio peculiaris, consistens in statu peculiari dynamico-organico haemorrhagiae faventi, qualis subinde congenita, haereditarie acquisita, saepius tardius evoluta est per influxus potentiarum nocentium in organa uropoetica agentium, per morbos praegressos, ut inflammations, quocunque modo excitatas, per calculos urinarios, per haemorrhoides, post quos influxus vasa renun vel ureterum vel vesicae urinariae varicose extenduntur, irritabilitatem morbosam adipiscuntur, et tunc congestiones sanguinis morbosae facile in secretionem cruentam transeuntes locum habent.

Praesente dispositione excitatur haematuria per diversas causas, ut per violentiam externam mechanicam lumbis aut pubi illatam, per concussionem totius corporis majorem, per refrigerium calente corpore admissum, per potus spirituosos, aromata acriora, subinde diuretica, ut terebinthinam, balsama, meloc majalim et proscarabeum, canthrides, nitrum dosi excessiva sumtum, subinde per coitum violentum; non raro est haec haemorrhagia symptomum morbi alterius, ut febris putridae, febris flavae Americanae, pestis Orientalis, variolarum malignarum putridarum, scorbuti, apoplexiae; frequentius inducitur antagonistice post haemorrhagias habituales, ut catamenia, haemorrhoides suppressas.

§. 60.

Pro diversitate momentorum pathogeneticorum variat etiam character dynamico-organicus haematuriae; est nempe non raro conjunctus cum vitio organico vel cum alio morbo, non raro simplex et quidem jam inflammatorius, energicus, jam asthenicus, erethisticus, subinde paralyticus; qua diagnosi stabilita, cum probabilitate pronunciamus sententiam de exitu morbi. In casibus longe rarioibus, dum inflammatio topica adest sine vitio organico in

organis uropoeticis subinde in alia parte corporis, haematuria levamen adfert insigne, critica, salutaris est; secus periculi intensitatem determinant reliqua momenta morbi. In genere haematuria characterem enorium exhibens est minus periclosa, quam si character fuerit asthenious, in primis paralyticus; ideo haematuria in febri putrida, febri flava Americana, pesti Orientali, scorbuto, post apoplexiā praegressam, est in plurimis casibus fatalis. Dū haematuria cum vitiis organicis conjungitur, prognosim minus laetam habet; non raro quidem quiete concessa, sponte vel concurrente arte silet haemorrhagia, sed mox iterum revertitur, nisi vitium organicum saepe artis conamina eludens tollatur. Impedimentis curac talibus haud existentibus, therapia rationalis successu felici non destituitur.

§. 61.

In curanda haematuria pindicationem primam desumimus a causis excitantibus; ideo si haematuria fuerit symptomā lithiasis, tunc cura radicalis possibilis non est, nisi calculus per lithontripiam contritus, vel per cystotomiam exceptus fuerit; si haemorrhagia haec fuerit symptomā alterius morbi, ut febris putridae vel scorbuti, tunc curam omnem contra hos morbos dirigimus; si haemorrhagia antagonisticē excitata sit, forte ob fluxum catameniale vel haemorrhoidalem suppressum, tunc eos revocare nitimur. Saepe causae excitantes, ut potentia mechanica, refrigerium, ingesta acriora, jam praesentes non sunt, alias, ut calculus vel varices in vesica urinaria cito removeri non possunt, tunc in therapia coordinanda rationem habemus principalem characteris dynamici haematuriae. Subinde symptomata omnia indicant praesentem statum inflammatorium renū, vel ureterū, vel vesicæ urinariæ, atque tunc methodus antiphlogistica est necessaria, saepe venas sectio, saepe topica sanguinis evacuatio, hirudinum vel cucurbitularum cruentarum ope, quas applicamus ad regionem lumbalem, iliacam, hypogastricam vel perinacam.

Statu inflammatorio tantum mitiori praesente, methodus antiphlogistica mitior sufficit, ut quies magna, interne emollientia; excluso nitro et reliquis salibus neutris, externe fomenta, cataplasma, semicupia tepida emollientia. Dum haemorrhagia sustentatur per statum hypererethisticum, doloribus saepe intensis se manifestantem, ut subinde accidit in haemorrhagia a calculo et haemorrhoidibus, tunc narcotica indicata sunt, ut extractum hyoscyami, cicutaee, digitalis purpurea, subinde liquor acidus Halleri, ipecacuanha dosi refracta, et opium, externe autem cataplasma emollienti-narcotica.

Effectu salutari laudata remedia destituuntur, dum haematuria sustentatur per statum torpidum, paralyticum organismi, in tali casu remedia tonica, adstringentia indicata sunt, interne acida mineralia, alumen, decoctum corticis cinchonae, cortex cinnamomi vel cassiae ligneae, radix ratanhiae, gummi kino, subinde radix arnicae, folia herbae urae ursi, in primis autem vinum antiquum bonum. Externe applicamus fomenta ex aqua frigida, glacie contusa, et his haud sufficientibus ob gradum debilitatis maiorem recurrimus ad infusa herbarum aromaticarum, cum vino vel spiritu vini, ad solutionem abdominis, encurbitulas siccas, sinapismos, clysmata ex aqua frigida, cui admiscentur subinde alumen, vinum, spiritum vini. Haemorrhagiae recidivam impedimus per evitationem causarum excitantium.

URETHRORRHAGIA.

§. 62.

Urethrorrhagia est profluvium cruentum ex vasis ipsius urethrae, vocatur etiam stymosis, rarer in sexu foeminino et tunc non facile cognosci potest; profundatur ne sanguis e vasis urethrae, vel vaginae; apud viros diagnosis est facilis, nam sine ulla admixtione uri-

nae sanguis effunditur e vasis, quae copiosissima adsunt in peni, in primis in corporibus cavernosis, in glande penis et in membrana mucosa, quae glandem et urethram totam investit.

R. Vogel, Diss. de stymatosi, vulgo haemorrhagia penis dicta, Göttingae, 1765.

Nebel, Programma de haemorrhagia penis enormi ex glandis exacerbatione venerea orta. Heidelbergae, 1778.

§. 63.

Subinde nullis prodromis praegressis post actionem causae excitantis subito prorumpit sanguis, saepe tamen breviori vel longiori tempore praecedunt symptomata statim urethrae morbosum indicantia, ut titillatio major, jam tantum in glande; jam etiam in reliqua urethra, subinde dolor in parte urethrae jam minori, jam majori, et quidem non raro intensus lacerans, qui extenditur in partes vicinas, urinae et alvi evacuationem impedit, et febris phaenomena provocat; inter haec symptomata comparet haemorrhagia jam ex glande, jam ex urethrae parte antica, saepius e parte postica, a radice penis ubi urethra transit in cervicem vesicae urinariae, ubi ostia vesicularum seminallium, et ductum glandulae prostatae situantur; subinde enim sanguis profunditur in urethram a vesiculis seminalibus, vel prostata; quippe adnotati sunt casus ab observatoribus, ubi sub coitu loco seminis sanguis evacuatus est, et post pollutionem nocturnam in somno vestitus maculis cruentis notatus fuit. Sanguis evacuatus jam arteriosus, jam venosus, quantitatis jam exiguae, paucarum guttarum, vel drachmarum, subinde plurimum unciarum est, imo I. P. Frank adfert casum viri sub urethrorrhagia quinque libras sanguinis amittentis et in summum vitae periculum conjecti

§. 64.

Ex symptomatibus ac inspectione facile cognoscimus hanc haemorrhagiam, et naturam ejus individualem desinimus e momentis pathogeneticis eritis. Inducitur quippe

urethrorrhagia subinde per laesiones mechanicas, ut per calculum ex vesica urinaria in urethram penetrantem, per catheteris vel cereoli applicationem rudiorem, per contusionem; (ita J. P. Frank adnotavit exemplum viri, qui peni rigida existente cecidit, et a contusione hac urethrorrhagia gravi correptus est) subinde masturbatio, coitus frequens, stimulantia acriora organa uropoetica irritantia, balsamica, cantharides, subinde fluxus haemorrhoidalis suppressus, frequentius urethritis, blennorrhagia syphilitica, tam acuta quam chronica hanc haemorrhagiam provocant.

§. 65.

Pro diversitate momentorum pathogeneticorum diversus est decursus et exitus urethrorrhagiae; a causa leviori, sine vitio organico productus morbus brevi terminatur, subinde tamen sanguis effunditur quantitate nimia, ad plures etiam libras, tunc debilitatem magnam, statum cachecticum, hydropem, et mortem inducere potest. Dum vitia organica, ut varices, ulcera in internis partibus penis adsunt, tunc contingit rhexis vel diabrosis, sanguis effunditur in cellulosam penis, in scrotum et regionem perinaeam; inde partes eae inflammantur, post suppurationem ulcera sinuosa, fistulosa valde molesta evanescunt, qui exitus funesti per therapiam rationalem saepe evitari possunt.

§. 66.

In therapia causis excitantibus, si fieri potest, renitis, indicationem desumimus a charactere dynamico haemorrhagiae, qui non raro est energicus inflammatorys, tunc necessaria est quies summa, et methodus antiphlogistica jam mitior, jam strictior, ut sanguinis evacuatio universalis, frequentius topica, ut in urethrite. Si status dynamicus fuerit erethisticus asthenicus, tunc indicata sunt interne liquor acidus Halleri, ipecacuanha dosi refracta, digitalis purpurea, opium. Si haemorrhagia tamen continuaverit profusa, tunc aut penis aquae frigidae immer-

gatur, aut fomenta ex aqua frigida saepius renovata applicentur; addimus ad virtutem exaltandam subinde acetum, alumen, spiritum vini, vel decoctum adstringens; hisque haud sufficientibus, etiam compressionem mechanicam in usum vocamus, neimpe praeputium antrorum tractum digitis constringimus; haemorrhagia ex parte posteriore urethrae contingente pressionem ad radicem penis applicamus; hac nedium sufficiente, ope catheteris vel cereoli in urethram intrusi perficimus compressionem. Simul debilitate totius organismi praesente, exhibemus interne tonica roborantia; acidum vitrioli dilutum, liquorem acidum Halleri, alumen, decoctum corticis cinchonae, cinnamomum, ratankiam et vinum generosum.

M E T R O R R H A G I A.

§. 67.

Metrorrhagia vocatur etiam menorrhagia, hysterorrhagia seu haemorrhagia uterina, estque illud profluvium cruentum, quod contingit ex utero per vaginam, tempore abnormi, et quantitate excessiva ita, ut per hoc profluvium valetudo mulieris plus minusve perturbetur, distinguimusque pro diverso statu uteri metrorrhagiam catamenialem, gravidarum, parturientium, puerarum et vetularum, quae licet omnes in profluvio cruento consistant, tamen et relate ad symptomata, et relate ad momenta pathogenetica ab invicem multum differunt.

F. Hoffmann, Diss. de haemorrhagia uteri. Halae. 1730.

P. G. Schroeder, resp. J. Borgauer, Diss. de haemorrhagia uteri. Göttingae. 1771.

J. W. Guibrand, de sanguifluu uterino. Hafniae et Lipsiae. 1776.

Henke, Diss. de haemorrhagiis uterinis nocivis. Erfurti. 1701.

- C. Strack, *Observationes medicinales de una præ ceteris causa, propter quam sanguis e foeminarum utero nimius profluit, atque haec quomodo submoveari debeat.* Berolini. 1794.
- *Medizinische Beobachtungen, über eine der vorzüglichsten Ursachen des Blutflusses der Gebärmutter.* Marburg. 1800.
- Busch, *Diss. de uteri haemorrhagiis.* Marburgi. 1795.
- Siebold et Billing, *Diss. de menorrhagia.* Würzb. 1799.
- Alphonse Leroy, *leçons sur les pertes du sang pendant la grossesse, lors et à la suite de l'accouchement, sur les fausses couches et sur toutes les hémorragies,* Paris. 1801.
- *Vorlesungen über die Gebärmutterblutflüsse,* übers. von Rénard. Leipzig. 1802. von Zadig, Breslau. 1802. von Lobstein. Strasburg. 1803.
- Hand, *Diss. de metrorrhagia,* Francofurti. 1805.
- Brandt, *Diss. de partium genitalium haemorrhagiis.* Halae. 1805.
- S. Duncan, *a treatise on the uterine haemorrhage.* London. 1816.
- Nouveau traité sur les hémorragies de l'utérus de Rigby et de S. Duncan, traduit par Mad. Boivin. Paris. 1818.
- Mad. Boivin, *Mémoires sur les hémorragies internes de l'utérus.* Paris. 1819.
- Henne, *Diss. de hysterorrhagia gravidarum, parturientium et puerarum.* Regiomontii. 1823.

§. 68.

Inter has haemorrhagias frequentissima est metrorrhagia catamenialis, quae subinde valde praecox, citæ, frequens, diu durans vel valde profusa est. Praecox et praematura est haemorrhagia catamenialis, dum ante tempus consuetum pubertatis comparet; periodus quidem pubertatis non est semper eadem, sed pro constitutione individuali variat, in regionibus calidis comparent catamenia anno aetatis octavo, nono, in regionibus septentrionalibus decimo octavo, vigesimo, apud nos et in genere sub zona temperata anno aetatis decimo quarto, decimo sexto; nec tamen rara sunt exempla puellarum, quae duodecimo anno aetatis catamenia normalia habent. Haller adnotavit in Helvetia casum puellæ novem annorum, Siebold puel-

lae duorum annorum, quae catameniis instructas fuere.
 Dum per catamenia praematura sanitas non laeditur, tunc
 objectum therapiæ non constituit; sed accidit non raro,
 ut per catamenia talia praematura diu durantia et excessi-
 va sanitas laedatur; ut tunc therapiam naturae individuali
 adaequatam adornare valeamus, colligimus symptomata
 cuncta, quae haemorrhagiam hanc praecedunt et comitan-
 tur. Subinde quidem nullis prodromis praegressis subito
 comparet haec haemorrhagia, saepius tamen praecedunt
 symptomata universalia, ut calores fugaces, cordis palpi-
 tationes, pulsus alterationes, cephalaeæ, vertigines, pro-
 pensio major in somnum, in multis pervigilium vel noctes
 inquietæ, non raro vomititiones, nauseæ, et sympto-
 mata topica, ut sensus plenitudinis, ponderis in abdo-
 mine, in primis in regione pubis, non raro dolor jam ob-
 fusus, jam intensior in regione sacrali, umbilicali, hypo-
 gastrica, subinde pruritus et titillatio genitalium, nisus fre-
 quens alvum et urinam evacuandi, evacuatio tamen ipsa
 molesta et impedita, quibus prodromis breviori vel longiori
 tempore durantibus, comparet initio fluxus liquidi mucosi,
 albumini ovi similis e vagina, postea sequitur haemorra-
 gia, quae saepe pacate absolvitur, ita ut symptomata praec-
 gressa dispareant omnia, non raro tamen perdurant, nova
 accedunt, augentur; ita non paucæ tempore talis fluxus
 catamenialis morbosí experiuntur dolores intensos in re-
 gione sacrali, tenesum ad alvum et urinam, nauseam,
 vomititionem, vomitum. Evacuatio sanguinis contingit
 saepe tantum guttatum, saepe rivo tenuiore per vices in-
 terrupto, subinde rivo continuo, et copiosus profunditur,
 subinde tantum paucarum unciarum, non raro plurimum li-
 brarum, estque sanguis subinde laete rubor, arteriosus,
 saepius atro-ruber, venosus, non raro in grumos coagula-
 tus, subinde muco, materia puriformi, fibris, lamellis,
 per coagulationem in utero e sanguine esformatis mixtus,
 saepe inodorus, non raro tamen peculiarem odorem ingra-
 tum spargens.

Post haemorrhagiam saepo levamen experitur aegra, symptomata molesta disparent; quotiescumque tamen metrorrhagia catamenialis profusa est, inducitur semper debilitas magna; cutis evadit pallida, cerea, turgore vitali disparente genae concidunt, oculi profunde in orbitam immerguntur, corpus, in primis extremitates frigent, cor anxie palpitat, nausea, vomituritio, vomitus accedunt, pulsus arteriarum est frequens, sed parvus, debilis, mox intermittit, evadit filiformis, vix perceptibilis, respiratio anxia, cum voce debili, sensus externi obscurantur, aegra conscientia sui amissa incidit in animi deliquium, subinde convellitur et in defectu auxilii congrui non raro extinguitur. Saepe post haemorrhagiam silentem, symptomata debilitatis sunt transitoria, et vigor pristinus iterum revertitur, non raro tamen post metrorrhagiam talem saepe recurrentem, remanent debilitates chronicæ: pallor, languor muscularis, dyspepsia, digestio tarda et molesta, gastralgia, flatulentia, vomituritiones, alvi evacuatio inordinata, sanguificatio imperfecta, inde status cachecticus, propensio in hydropem, dyspnoeae, tusses, cordis palpitationes, spasmi et nevroses diversæ.

§. 69.

Ex symptomatibus omnibus praecedentibus, concomitantibus et subsequentibus, metrorrhagiae catamenialis intensitatem etiam cognoscimus, neque tamen diagnosis completa erit, nisi per cognitionem pathogeneticam illustrata fuerit. Omnis puella et mulier post pubertatem praedisposita est in hanc haemorrhagiam; ad uterum enim adducitur sanguis majori quantitate, et distribuitur per membranam mucosam mollem vasculosam, totam superficiem internam uteri obvestientem, facilitaturque profluvium per situm erectum mulieris humanæ et os uteri apertum. Praeter hanc dispositionem communem aliquæ praeditæ sunt dispositione peculiari, subinde haereditate propagata, vel per influxus potentiarum nocentium provocata, quæ consistit in irritabilitate majori systematis uterini, per quam

congestio sanguinis major locum habet; tales causae praedisponentes multo frequentiores in urbibus, multo rariores in pagis sunt; vita sedentaria, vestitus minus congruus, ut thoracula, pectus et abdonem constringentia, et sic circulationem sanguinis debitam impeditia, irritamenta varia psychica, phantasiam et stimulum veneris mature excitantia, ut sunt lectio fabularum milesiarum, spectacula in theatris aetati minus accomoda, conversatio cum juvenibus sexus alterius, subinde status morbosus, ut scrofulae. Subinde dispositio major in metrorrhagiam catameniale connectitur cum statu energico totius organismi, ut in puellis vel foeminis robustis, plethorici, vitam lautam et otiosam ducentibus, saepius tamen sine statu energico, tantum sensibilitas ac irritabilitas morbose exaltatae sunt, in toto organismo, vel saltem topice in genitalibus.

Praesente tali dispositione, excitatur metrorrhagia catamenialis per varias causas, ut per motum corporis vehementiorem, saltum, vomitum, tussim violentam, animi affectus, in primis iram, subinde per desiderium nimium coitus, apud illas, quae jam huic stimulo assuetae erant, per ingesta spirituosa, aromaticae, infusum coffeeae et theae fortioris, per irritationes mechanicas genitalium, onaniam, coitum rudiorem, nimis frequentem, tempore fluxus catamenialis, subinde per suppressionem evacuationum aliarum habitualium, ut sudoris, per diarrhoeam, dysenteriam, saburram biliosam, vermes intestinales. Subinde metrorrhagia haec characterem torpidum subparalyticum habet, dum valde profusa, diu continuata est, vel dum per scorbutum, febrim putridam aut variolus malignas putridas provocatur.

§. 70.

Metror**rhagia** g**ravidat**im ob statum mulieris peculiarem, propriis stipatur symptomatis. Fluxus nempe catamenialis, antea omni quarta septimana periodice recurrens, post conceptionem cessat et impenditur in foetus

evolutionem et nutritionem; sub actu conceptionis per vitam uteri peculiariter exaltatam superficies ejus interna conjicitur in statum sub-inflammatorm cum secretione fibrinae, e qua efformatur membrana nova, sic dicta decidua Hunteri, cujus ope ovum humanum nectitur cum utero; in hac membrana vitalitate praedita formatur successive placenta, quam tertio mense graviditatis jam evolutam conspicimus; atque ab illo tempore conjunctio intima inter foetum et matrem perficitur ope placentae; reliqua superficies ovi humani tantum laxius utero nectitur. Ex utero ita constituto, tempore graviditatis totius contingere potest haemorrhagia, et quidem potentissimis nocentibus violentis praesentibus subito ingruit, in casibus longe pluribus prodroma observantur varia, ut calores fugaces, cephalaeae, inquietudines, somnus perturbatus, cordis palpitationes, dyspnoea, nauseae, vomititiones, gastralgiae et enteralgiae; in aliis observantur praevie debilitas muscularis major, entis pallor, oculorum languor, animi tristitia; in abdomine motus foetus antea jam perceptus cessat, et haemorrhagia instante sentitur pondus in regione pubis; accedunt dolores, incipientes in regione sacro-lumbali et extensi versus symphisis ossium pubis, similes doloribus parturientium. Non raro symptomatibus inrescentibus evolvuntur etiam symptomata febrilia, et sic contingit haemorrhagia, subinde pauca et iterum silens, saepe profusa et tunc statim primo vel quarto usque octavum diem excluditur simul foetus, primis tribus mensibus graviditatis membranis suis inclusus, ante septimum memsem graviditatis incapax vitam extra uterum continuandi, vocatur abortus vel partus immaturus, septimo mense exclusus foetus vitam subinde magna sollicitudine sed saepe tantum brevem ducere potest, dicitur partus praematurus, maturitas enim plena locum habet tantum nono mense solari vel decimo lunari.

E symptomatibus omnibus et ex investigatione tam mulieris gravidae, quam evacuati sanguinis et foetus cum membranis, diagnosis metrorrhagiae hujus evadit clara,

ad naturam tamen illius cognoscendam et causas eruere oportet.

§. 71.

Natura quidem vitam hominis incipientem tinet ita, ut saepe potentiae nocentes etiam violentae in gravidas agentes foetui nullam inferant laesionem, ipsi conatus variis gravidarum miserarum foetum enecandi et abortum procurandi effectu carent, nec tamen omnis uteris ita fortis est; dantur mulieres dispositione peculiari praeditae in abortum, quae nempe hypercinesia majori laborent universaliter vel topica saltem uteri, qualis subinde nexa est cum energia vitae majori, ut in gravidis plethoricas vitam lantam otiosam ducentibus, saepius nexa est cum debilitate; talisque hypercinesia asthenica non raro est congenita, in mulieribus teneris, hysterieis, premature viro junctis; talis producitur per evacuationes largiores, diarrhoeas, lactationem diu protractam, haemorrhagias, animi affectus ingratos, in primis tristitiam, per graviditates multas cito sese excipientes, per abortum jam semel superatum; tunc ut plurimum eodem tempore, primis nempe tribus mensibus graviditatis, et quidem dum fluxus eatamenialis reverti deberet, contingit abortus. Dispositionem talem inducunt etiam vitia organica in utero, ut polypus, induratio partialis, vel vitium organicum partium vicinarum, ut ossium pelvis in rhachiticis, per haec enim extensio debita uteri impeditur.

Praesente tali dispositione provocatur in gravidis haemorrhagia per diversas causas excitantes, subinde per violentias mechanicas externas abdomini illatas, ut per contusionem, constrictionem nimiam, coitum rudiorem, per motum corporis vehementem, ut saltum, ventionem per strata aspera, ponderum gravium elevationem, vomitum, tussim, nixum nimium sub diarrhoea vel dysenteria, per potus spirituosos, pharmaca stimulantia, emetica, purgantia drastica, emmenagogia, in primis sabinam et aloeifica, per venena deglutita, quae saepe vitae gravidae

pârcunt, sed foctum enecant. Subinde excitatur per con-
cussionem electricam naturalem vel artificialem, saepius
per animi affectus vehementes, gaudium magnum, iram,
terrorem, non raro per morbos alias; per febrim inter-
mittentem sub paroxysmo vehementi, per insultum epi-
lepticum, cholera.

Momenta disponentia et excitantia cum symptomatibus
eunctis individualibus per reflexionem combinamus, et
tunc characterem dynamicum metrorrhagiae gravidarum
cum summa probabilitate definimus; sitne erethistica ener-
gica, vel erethistica asthenica, vel torpida, qualis eva-
dit, dum haemorrhagia valde profusa in aegra jam ener-
vata locum habet, vel per febrim putridam, scorbutum
vel febrim intermittentem perniciosa, vel cholera in-
ducta fuit.

Peculiaris est metrorrhagia gravidarum a placenta
prævia, dum placenta non fundo vel lateri uteri, sed collo
ejus adhaeret; tunc dispositione in abortum præsente,
hic primis mensibus graviditatis citissime contingit; dis-
positione tali hand præsente, primis mensibus gravidita-
tis nullas molestias experitur mulier, sed post septimum
mensem graviditatis incipiunt haemorrhagiae, quiete in
situ horizontali per plures dies continuata silent, motu
autem corporis licet moderato suscepto iterum revertuntur,
quae observatio suspicionem excitat de hac specie metror-
rhagiae, diagnosis dein confirmatur per investigationem,
digitus enim expertus placentam ori uteri adhaerentem dis-
tinguit, atque graviditate nunc ultro procedente, haemor-
rhagia magis augetur, quia ultimis mensibus gravi-
ditatis etiam collum uteri extenditur, et tunc facile pars
placentæ solvitur.

§. 72.

Frequenter mulier feliciter attingit terminum gravi-
ditatis, et sub ipso partu locum habet metrorrhagia peri-
culosa; subinde antequam ovum humanum in vaginam
protruditur, antequam aqua amnios profluit, contingit

haemorrhagia gravis; dum nempe placenta praevia collo uteri adhaeret, nonnunquam etiam si alteri parti adhaeret, haemorrhagia evadit matri et foetui periculosa in partu nimis veloci ob solutionem placentae celerem. Subinde per vaginam sanguis parva quantitate evacuatur, sed metrorrhagia est interna, occulta, sanguis copiosissimus accumulatur in cavo ipsius uteri, quod evenit, dum sub partu difficulti et diuturno caput foetus diu incuneatum haeret, dum solutione placentae peracta os uteri spasmo vehementi contrahitur, et partum et sanguinis fluxum impedit. Talis metrorrhagia parturientium excitatur per partum difficultem, per obstetricationem rudiorem, in versione aut instrumentorum applicatione, per spirituosa et alia stimulantia, scopo partum adjuvandi exhibita, per terrorem spasmos provocantem. Subinde in casibus rarissimis per rupturam uteri; uterus nempe jam antea in sua structura mutatus, friabilis, sub partu rumpitur; ipsa parturiens, subinde et adstantes auditu rupturam contigisse annunciant; atque tunc foetus et sanguis in cavum abdominis incidunt, eventu letali; talis ruptura, experientia tristi docente inducitur subinde per obstetricatores et obstetricices, uterum perfodendo, aut placentam violenter lacerando. Frequentins talis ruptura observatur in graviditatibus extra-uterinis, ubi conceptio contingit in tuba Fallopii vel ovario; graviditas talis raro ultra tertium mensem extenditur, cum nec tuba Fallopii, nec ovarium extensionem necessariam admittunt pro evolutione foetus, ideo is frequenter emoritur, vita matris supermanente; foetus subit peculiaris mutationem, vel in substantiam adipoceream, vel duram, lapideam, talemque foetum degeneratum subinde portat mater per viginti, triginta annos, et statu uteri reliqui normali existente evadit etiam gravida, et generat proles sanas. Saepe per influxus potentiarum nocentium in parte indurata excitatur inflammatio, rarissime resolvenda, sed quae transit in suppurationem, per quam separantur partes foetus, ossicula, capilli. Degeneratione tali haud contingente, tuba vel ovarium ulterioris extensionis

haud capax rumpitur, foetus incidit in cavum abdominis, haemorrhagia simul praesente, mulier subito pallida evadit, extremitates frigent, sensus obfuscantur, pulsus fiunt celerrimi, filiformes, mox cessant et intra paucas horas mors adest.

§. 73.

Partu superato locum habet nonnunquam metrorrhagia puerarum; ad valetudinem nempe puerperae pertinet fluxus lochiorum, per unam usque sex septimanas excurrens, quo sanguis antea in vasis uteri dilatatis accumulatus sub contractions illius successively effunditur; praeterea post separationem placentae ab utero remanet semper vulneratio superficialis; in partu difficulti, in primiparis semper sub transitu capitis foetus per os uteri inducuntur fissurae plures vel pauciores, et sic per has causas etiam haemorrhagia contingit, quae tamen tantum tunc evadit objectum therapiae, dum profusa est, et symptomata debilitatis conspicua enascuntur, et tunc conanire ex symptomatibus et causis characterem dynamico-organicum talis lochiorrhagiae definire; subinde per solum partum difficultem et diuturnum, vel per obstetricationem rudem sub versione foetus, aut applicatione instrumentorum acutorum laesiones mechanicae utero illatae sunt; subinde quod puerpera statim post partum lectum deseruit, motus corporis majores suscepit, ruidus tractata est, cibos majori quantitate vel aromata, spirituosa, pharmaca purgantia, emetica vel stimulantia ingessit, animi affectu vehementi, gaudio excessivo, saepius ira, terrore vel tristitia correpta fuit; post actionem causarum harum, pro diversa constitutione puerperae subsequitur subinde metrorrhagia energica cum statu inflammatorio nexa, saepius asthenica erethistica, non raro asthenica paralytica, ubi nempe puerpera jam antea debilis, forte phthisi pulmonali in ultimo stadio affecta fuit; non raro per ipsum partum nimis diuturnum et difficultem, ubi uterus nimis extensus fuit per foetum magnum vel foetus plures, redditur uterus

paralyticus, ideo non se contrahit, et tunc haemorrhagia interna periculosissima locum habet. Causa una haemorrhagiae hujus, per Wiegand et Siebold adnotata, est pars placentae vel ovi humani in utero residua, quae corrupta irritatione sua tam mechanica quam chemica provoca, et sustentat metrorrhagiam.

§. 74.

Metrorrhagiae huc usque enumeratae observantur in mulieribus, donec capacitatem habent concipiendi, qua cessante silet fluxus catamenialis et exstinguitur dispositio ad haemorrhagias enumeratas, sed comparet metrorrhagia veterinarum. Apud nos fluxus catamenialis durat usque annum aetatis quadragesimum quintum, usque quinquagesimum; rariora sunt exempla mulierum, in quibus fluxus catamenialis cum facultate concipiendi excurrevit usque annum aetatis sexagesimum. In plurimis circa annum quadragesimum et quinquagesimum fluxus catamenialis evadit irregularis; emanet per tres et plures menses, revertitur iterum profusus, dein diutius emanet, donec penitus cessat. Cessante fluxu catameniali comparent morbi diversi, inter hos etiam metrorrhagia, quae pro diversitate causarum diversum characterem dynamico-organicum habet; subinde in mulieribus plethoricas laute viventibus producitur haec haemorrhagia per solam abundantiam sanguinis excessivam; non raro irritatio genitalium inducit vitia organica uteris, ut indurationem, scirrum, fungum haematodem, carcinoma, quorum morborum symptomum unum saepe est metrorrhagia chronica, saepe revertens, pharmacis rebellis; saepe tunc cum sanguine effunditur materia puriformis, profluviu[m] cruentum alternat cum fluore albo, saepe dolores simul excruciant aegram, et in tali casu ad errorem in diagnosis evitandum necessaria est exploratio rite instituta.

§. 75.

Diagnosi metrorrhagiae ex momentis nosographicis et nosogeneticis stabilita prognosim quoque probabilem pro-

nunciare valeamus. Subinde metrorrhagia nullam perturbationem valetudinis inducit, imo ad illam restituendam confort, critica est, in morbis nempe illis, qui provocantur per retentionem vel suppressionem fluxus catamenialis aut lochialis. Sed saepe metrorrhagiae, valde profusae sunt, tunc debilitatem nimiam induant, subinde per exhaustionem nimian aegrota incidit in asphyxiam, et sine auxilio promptissimo congruo in mortem veram subitaneam; exuta hoc funestissimo evitato remanet debilitas in organismo breviori vel longiori tempore, et evolvuntur status morbos si diversi pro diversa dispositione aegrotae; ut debilitates chronicæ organorum digestionis et chylificationis, dyspepsiac, gastralgiaæ, flatulentiae, alvi evacuationes inordinatae, inde etiam sanguisificatio et nutritio minus perfecta, inde habitus cachecticus; in aliis ob dispositionem peculiarem evolvuntur dyspnoæ, tusses, dolores diversi, in primis capitis, sensum debilitates, vertigines, spasmi, in primis hysterici; in aliis remanent anomaliae catameniorum, fluor albus, subinde comparet tabes, febris hectica, hydrops.

Ut prognosim in casu individuali cum probabilitate pronunciare valeamus, attendimus ad quantitatem et qualitatem sanguinis evacuati, ad durationem haemorrhagiae, constitutionem aegrotae, characterem dynamico-organicum, complicationem et effectus haemorrhagiae jam productos. Ita metrorrhagia catamenialis praecox seu praematura, si contingit in pueris robusta sine valetudine ejusdem laesa minime timenda est, indicat tantum evolutionem totius organismi celeriorem. Tales status dynamico-organicus apud nos rariores occurunt; nam ubi praematura catamenia evolvuntur, observamus ut plurimum symptomata debilitatis cum statu erethistico, ita ut talis haemorrhagia indicet constitutionem totius organismi teneriorem, dispositionem ad metrorrhagias, ad spasmos hystericos, sterilitatem, et abortum. Metrorrhagia catamenialis in puellis adultioribus post annos pubertatis superatos, vel in mulieribus comparens habitu robusto existente, characteris energici

minime pertimescenda, potius salutaris est. Sed saepe etiam in his subjectis haemorrhagia larga, profusa producitur, per statum asthenico-erethisticum vel organismi totius vel saltem uteri, et tunc symptomata debilitatis jam in minori, jam in majori gradu subsequuntur. Metrorrhagia gravidarum moderata, primis mensibus contingens sine doloribus, saepe cessat, quin consectaria mala habeat, e vagina vel cervice uteri profluit sanguis, catamenia supplet. Dum haemorrhagia contingit ob separationem placentae, tunc prognosis est semper dubia; subinde quidem solutione tantum partiali existente haemorrhagia cessat, et partus impeditur; sed ubi pars placentae major separata est, ibi partus semper subsequitur, et per haemorrhagiam profusam tam vita foetus, quam matris periculo exponitur; partu primis sex mensibus graviditatis contingente, foetus saepe jam in utero matris mortuus haesit, ita ut in excluso signa putredinis incipientis observentur, vivus natus brevi extingnatur. Quo magis graviditas proiecta est, eo magis evoluta placenta majori superficie uteri adhaeret, et major subsequitur haemorrhagia, per debilitatem majorem excepta. Periculosissima est metrorrhagia gravidarum et parturientium, quae contingit ex placenta praevia, et illa, quae per rupturam uteri inducitur est in plurimis casibus letalis, et ad casus rarissimos pertinet ille, quem L. Frank Parmae contigisse refert, ubi sub partu utero rupto foetus in abdomen incidit, sectione caesarea facta foetus vivus exceptus, partes vulneratae coniunctae et vita tam foetus, quam matris conservata. Metrorrhagia vetularum characterem energeticum praeseferens per solam plethoram producta periculo omni caret, sed symptomata constituens vitiorum organicorum uteri est valde ominosa. Ita metrorrhagia in genere pertinet ad morbos periculosos, non raro periculosissimos, subinde quidem per autocratiam naturae solam sanatur, frequentius tamen sibi reicta vitam in summum periculum conjicit, nisi therapia rationalis succurrat.

§. 76.

In omni metrorrhagia indicatio generalis est, ut evitentur causae cunctae haemorrhagiam praesentem sustentare vel augere valentes; ideo in omni casu commendamus, ut aegrota quietem summam observet, in situ horizontali femoribus magis ad invicem adductis jaceat, vestimenta forte arctiora solvimus; temperaturam externam potius frigidusculam quam calidam commendamus. Dum haec coordinamus, brevem historiam haemorrhagiae excipimus, symptomata omnia colligimus, praesente necessitate etiam de conditione genitalium nos certiores reddimus, atque diagnosis constructa, therapiam primam dirigimus contra causas excitantes forte adhuc praesentes. Ita si causa excitans metrorrhagiae fuerit irritatio genitalium per oxyuros vermiculares vel pessaria vel onaniam vel coitum frequentem, tunc nisi hae causae remotae fuerint, therapia omnis inutilis erit. Si forte vita continuo sedentaria, excitatio phantasiae per lectiones, repraesentationes lascivas, potus spirituosi vel alii calefacientes excessivi, coffae vel theae ad morbi genesim contulerint, tunc potentiae illae nocentes removeri debent; si forte saburra in ventriculo vel tubo intestinali, bilis vel vermes haemorrhagiam provocant, tunc emetica, purgantia, anthelmintica indicata sunt; ubi vero morbus alter symptomatice vel antagonisticæ haemorrhagiam excitat, ibi contra morbum principalem curam dirigimus.

Causis excitantibus remotis contra haemorrhagiam perdurantem desumimus indicationem a statu dynamico-organico uteri et totius organismi. Ita dum haemorrhagia catamenialis frequens, profusa et diu durans, in mulieribus plerorū, laute viventibus, otiosis producitur per sanguinis abundantiam, ibi methodus antiphlogistica indicata est, diaeta tenuis vegetabilis, pro potu aqua pura, decocta emollientia vel emulsiones tenues, quibus addimus cremorem tartari, nitrum, subinde purgantia mitiora antiphlogistica, charactere inflammatorio in eminentiori gradu evo-

Inte ipsa sanguinis evacuatio et quidem venae-sectio in brachio indicata est. Sed saepe metrorrhagia catamenialis per methodum antiphlogisticam non sanatur, non raro augetur, quia status dynamico-organicus est asthenia erethistica, atque tunc indicata sunt remedia, quae irritabilitatem inminuunt, qualia sunt acida mineralia, ut acidum vitrioli dilutum, liquor acidus Halleri, subinde acidum phosphori; non raro efficaciam maiorem exerunt antagonistica: tartarus emetics, saepius ipecacuanha dosi parva, digitalis purpurea, opium solum vel in connubio cum ipecacuanha; testante J. R. Bischoff saepe profuit pulvis carbonum tiliace; F. Hildenbrand laudat pulverem radicis rhei cum carbonate magnesiae, bolo armena et saccharo albo. Dum haemorrhagia profusa diutius durans debilitatem maiorem excitat, characterque haemorrhagiae torpidus, sub-paralyticus evadit, tunc adstringentia indicata sunt, commendante J. P. Frank decoctum e fructibus immaturis aurantiorum; multi observatores laudant alumnen, in pulvere vel sero lactis, gummi kino, terram catechu, radicem ratanhiae, corticem cinchonae; in plurimis tamen casibus pharmacum optimum possidemus in cortice cinnamomi vel cassiae ligneae, cuius tinturam in metrorrhagia profusa asthenica exhibemus ad guttas viginti, triginta usque sexaginta in cochleari aquae, donec symptomata debilitatis disparuerunt, initio omni quadrante, dein omni media, dein omni hora. Periculo remittente, statu tamen asthenico adhuc perdurante; in decocto emolliente praescribimus tinturam cinnamoni ad scrupulum usque drachmam pro nycthemero, in connubio cum liquore acido Halleri, vel spiritu vitrioli, vel acido phosphori; gradu debilitatis ita incremente, ut vita in periculo versetur; siual etiam alia stimulantia in auxilium vocamus, ut liquorem anodynum minerali Hofmanni, aetherem vitrioli, aetherem acetii, subinde praeparata ammoniae, castoreum, moschum, in primis vinum bonum. Interim meminisse oportet, indicacionem pro his stimulantibus esse rarissimam, per ea uoxas multas suisse illatas, et hodie per ignorantes quotidie inferri.

§. 77.

Saepe remedia interna non sufficiunt ad metrorrhagiam sistendam, sed etiam externa necessaria sunt, in quibus seligendis cautela magna adhiberi debet. Quotiescunque metrorrhagia charactere energico est instructa, applicatio remediorum externorum omnis est noxia: tantum dum haemorrhagia asthenica diutius durat, ad usum internorum non remittit, tunc debemus recurrere ad externa. Inter haec princeps remedium est aqua frigida, ex qua sola vel cum aceto mixta, abdomini inponimus fomenta, saepius renovata, ad irritabilitatem morbose exaltatam imminuendam, exaltamus virtutem per glaciem contusam. Subinde ad applicationem aquae frigidae, ob peculiarem idiosyncrasiam aegrae haemorrhagia continuat, debilitas increscit, spasmi evolvuntur, tunc applicamus fomenta e herbis aromaticis aqua, aceto vel vino calido maceratis, tepida, vel solutionem aluminis, vitrioli martis, cupri aut zinci, vel decoctum corticum quercus, in plurimis casibus utilissime adhibemus acetum aromaticum tepidum. Commendantur etiam injectiones ex aqua frigida et decocto adstringentium, quae tamen rarissime prosunt, uterum irritando in casibus longe pluribus nocent.

Ubi ad remedia hucusque laudata metrorrhagia nemus renittit, commendatur ligatura, seu fasciae injectio strictior extremitatibus inferioribus, quod tamen remedium tantum per breve tempus adhiberi potest; haemorrhagia longius excurrente, pressio necessaria est, ipse uterus et vagina explentur turundis per dies plures retentis, interim per remedia interna adhibita, status dynamico-organicus abnormis, haemorrhagiam sustentans removetur.

§. 78.

Nec haemorrhagia silente cura adhuc omnis absoluta est, remanet dispositio longiori tempore; ideo facile recidiva locum habet, ad quam praecavendam necessaria est

cura prophylactica, varia pro diverso charactere dynamico-organico; sic si metrorrhagia catamenialis fuit energica, tunc vitae regimen anti-phlogisticum adhuc longiori tempore continuari, causae nocentes, in primis genitalium irritationes longo tempore evitari debent. Si vero metrorrhagia fuerit asthenica, tunc methodus roborans gradui debilitatis adaequata continuanda est, in primis commendamus tunc aërem purum, siccum, motum corporis moderatum, cibos blande nutrientes, diaetam lacteam, carnes teneras, saepe potum spirituosum dosi moderata, ut cerevisiam vel vinum; ex pharmacis exhibemus initio liquorē acidum Halleri, dein amara, ut quassiam, dein infusum frigidum corticis cinchonae, tardius praeparata martis, aestate commendamus acidulas martiales, Bartphenses, Lublovienses, sub gradu debilitatis majori etiam balnea roborantia martialia et aluminosa.

§. 79.

Metrorrhagia gravidarum est semper periculo plena, quia in pluribus casibus abortus vel partus praematurus contingit cum periculo matris. Ideo in praedispositis, forte jam abortum perpessis, cura prophylactica est necessaria; quem in finem causae cunctae sanguinis circulum accelerare valentes, ut cibi aromatici, potus spirituosus, calor externus major, motus corporis vehementior, animi affectus violentus, vocis adstrictio, ponderum gravium elevatio, saltus, irritatio omnis abdominis, in primis genitalium, et compressio vitari debent, praecipue tribus primis mensibus graviditatis, tempore illo, quo fluxus catamenialis reverti solebat, debent per plures dies in situ horizontali pacate jacere, et non raro per hoc vitae regimen solum evitari potest abortus. Non raro tamen et efficaciora artis auxilia necessaria sunt, quae seligimus secundum characterem morbi dynamicum; dum grāvida ob copiam majorem sanguinis, ob energiam cordis exaltatam experitur calores, inquietudines, dyspnoeas, cordis palpitationes, cephalaeas, dolores in abdome, ut prodroma haemorrhagiae, in tali

casu methodus antiphlogistica strictissima est necessaria, venae-sectio in brachio, subinde durante graviditate etiam repetenda. Interim magnum hoc remedium incaute adhibitum potius nocet, abortum provocat; saepe evacuatio sanguinis debet esse valde moderata, ad uncias duas, tres, saepe nulla est necessaria, ob characterem metrorrhagiae asthenicum, ut in mulieribus hystericis, per influxus varios debilitantes provocata, tunc praeter quietem corporis et animi, evitationem irritationis omnis genitalium, indicata sunt remedia, quae irritabilitatem morbose exaltatam imminuunt, ut liquor acidus Halleri, acidum phosphori, ipecacuanha dosi refracta, digitalis purpurea. Debilitate majori gradu praesente ad praecavendam haemorrhagiam commendamus vitae regimen roborans, ex pharmacis alumen, praeparata martis, in connubio cum anaris vel amaro-aromaticis, vel cortice cassiae lignae; subinde utiliter adhibemus infusum frigidum corticis chiae, vel dosi parva praeparata ejus salina. Si grava debilis abortui obnoxia jam medietatem graviditatis superavit, tunc ad praecavendam tardioram haemorrhagiam commendamus, cum cautela debita, balnea martialia, mensibus aestivis acidulas martiales.

§. 80.

Attentionem peculiarem requirit metrorrhagia gravidae a placenta praevia, ad quam evitandam ultimis mensibus graviditatis situs horizontalis fere continuus necessarius est; doloribus partus se insinuantibus, naturae, quam secus summe veneramur, partus talis committi non potest, sed auxilio obstetricatoris dextri partus accelerandus est, et tunc etiam ad conservandam vitam auxilia promptissima administrari debent. Subinde et in partu, et in puerperio haemorrhagia habet characterem energeticum, ob statum inflammatiorum in utero per quamcunque causam inductum, tunc methodus antiphlogistica, sanguinis evacuatio tam universalis, quam topica erit necessaria. Subinde excitatur haemorrhagia per corpus peregrinum in utero

haerens, ut partem placentae vel secundinarum in utero residuum, tunc illa caute excipi debet. Saepe haemorrhagia per quameunque causam producta profusa sustentatur per irritabilitatem morbosa uteri, tunc adhibemus externe fomenta ex aqua frigida, cuius virtutem exaltamus addita glacie vel oxyerato. Hoc remedio haud sufficiente, dum calor entis siccus, pulsus arteriarum frequens, statum erythriticum in toto systemate vasorum annunciant, exhibemus interne cum aqua vel decocto emolliente liquorem acidum Halleri, vel acidum phosphori, vel ipecacuanham, vel digitalem purpuream, vel opium. Sub gradu debilitatis majori, dum gravida vel parturiens, vel puerpera evadit pallida, extremitates frigent, pulsus tanguntur paryi, tunc periculum paralysis instat, tunc remedia efficaciora, energiam vitae excitare valentia adhibemus: tinturam cinnamomi, uno cochleari coffeeaceo in cochleari majori aquae omni quadrante horae, donee calor, rubor et pulsus revertuntur; tunc dosim semper magis imminuimus, et pro circumstantiis ordinamus jam liquorem acidum Halleri, jam acidum phosphori, jam alternativum opium cum ipecacuanha, in hysterics subinde tinturam castorei. Dum ad applicationem fomentorum frigidorum signa debilitatis crescunt, fomenta ex herbis aromaticis, vino vel aceto calido marceratis, vel aceto aromatico adhibemus, his non sufficientibus injectiones caute in vaginam ex aqua frigida vel oxyerato, et metrorrhagia nedum silente, compressio parietis posterioris uteri manu in uterus deducta commendatur. Secundum observationes medicorum in America et in Europa factas, contra metrorrhagiam aliis pharmacis rebellem pharmacum perutile fuit secale cornutum, cuius tamen usus per nos adhuc nullus factus est.

§. 81.

Metrorrhagia veterarum, pro diverso charactere dynamico diversam requirit therapiam. Non raro producitur per solam sanguinis abundantiam relativam, tunc methodus antiphlogistica est necessaria; saepe jam vitae regimen

antiphlogisticum sufficit, vietas tenuis vegetabilis, evitatis aromatibus, potibus spiritnosis et calefacentibus, ad quos pertinet etiam infusum coffeeae; talibus convenienter incipiente vere succi herbarum solventes; aestate acidulac mitiores alcalinae, dum alvo obstipa laborant, purgantia antiphlogistica, aqua Seidschützensis vel Pilnauensis, subinde et venae-sectio necessaria est. In casu rariori metrorrhagia characterem asthenicum jam erethisticum, jam torpidum habet, tunc remediis jam laudatis, statni individuali accommodatis curanda. Dum metrorrhagia haec ventularum saepius recurrit et diutius durat, tunc justa est suspicio de vitio aligno organico se in utero evolente, et in tali casu usus stimulantium roborantium tam internus, quam externus summe cautus esse debet: nam in plurimis casibus vitia illa organica in suo exordio habent characterem inflammatorum mitiorem chronicum, per remedia stimulantia exasperantur, et degenerationes arti rebelles provocantur. Ideo in tali casu ad diagnosim exactam formandam, investigatio genitalium negligenda haud est, ut per therapiam rationalem mature adornatam morborum funestorum, scirrhi et carcinomatis evolutio impediatur.

DE PROFLUVIIS LIQUIDORUM SECRETORUM.

E P H I D R O S I S.

§. 82.

Sudatio morbosa, sudor morbosus, ephidrosis vel hyperidrosis, dicitur status ille morbosus, sub quo sudor quantitate excessiva effunditur ita, ut inde aeger sanitatis suae perturbationem experiatur. Per cutim nempe universam secernitur et excernitur continua materia perspirabilis; principia superflua et noxiae

corpore eliminans, quae dum ab atmosphaera non recipiatur, in cuti in guttas coit, et sudorem efformat, saepe salutarem, non raro tamen status morbosi et effectum et causam constituit.

Alberti, Diss. de sudoris ambulatorii salubritate et insalubritate. Halae. 1740.

Erhardt, de sudore, praeprimis nimio. Argentorati. 1741.

Büchner, Diss. de sudore colliquativo. Halae. 1757.

Ludolff, Diss. de sudore naturali, non naturali et praeter-naturali. Erford. 1752.

Otto, Diss. de sudoris tum salutaris, tum morbosici causis et effectibus. Francofurti. 1803.

§. 83.

Ut naturam sudoris morbosici individualem definire possumus, attendimus ad quantitatem ejus, sit ne profusus, quod exacte mensurare haud valemus, tantum e linteaminiibus et vestitu per sudorem madefactis cum probabilitate concludimus, respectum habentes individualitatis, nam aliqui homines sanitatem durante nunquam sudant, dum ad aliorum sanitatem relativam sudor certae quantitatis necessarius est; attendimus ad tempus quo sudor comparet, forte interdiu vel saltem noctu, comparetque saepe in toto corpore, saepe tantum in una parte, in capite, pectore, infra axillas, vel in pedibus, adnotata fuit etiam ephidrosis unilateralis; attendimus ad qualitates sudoris, odor saepe est nullus, saepe acidus, ut sub eruptione miliarium, subinde est foetidus, ammoniacalis, urinosus, in febri cum charactere septico, cadaverosus in moribundo; ita etiam saper variat, jam fatuus, jam dulcis, jam amarus, jam salsus, jam acidus distinguitur; non raro sudor exhibet odorem et saporem ingestorum, ita allium, moschum redolet; variat colore, jam est excolor, limpidus aquae instar, jam opacus, albus, lacteus, flavus, virescens, nigrescens, vel ruber; nam etiam cruentus sudor observatus est; subinde est spissus glutinosus, subinde in cuti

efformantur praecipitata, crystalli, quae diversae qualitates indicant, etiam partes constitutivas sudoris varias esse; praeter materiam perspirabilem, quae in homine mediae aetatis et mediae magnitudinis spatio nycthemeri ad duas usque septem libras efficit, et quae praeter caloricum excessivum et vaporem aquae in se carbonium continet, in sudore detectae sunt per chemicorum analyses diversae partes, a Bertholet acidum aceticum, a Berzelius acidum lactis, a John principium bilis, a Deyeux et Parmentier ammonium, subinde phosphates et urates. Similiter attendimus ad symptomata, quae sudoris eruptionem praecedunt, comitantur et sequuntur, sic eruimus nexum, quem sudor cum organismo habet.

§. 84.

Praeter momenta enumerata attendimus ad circumstan-
tias omnes, sub quibus sudor erumpit, ut causas etiam
individuales cognoscamus. Aliqui homines habent disposi-
tionem jam congenitam, jam tardius acquisitam per influ-
xum potentiarum nocentium diu continuatum, per quem cu-
tis redditur tenerior, ideo in genere infantes et mulieres et
reconvalescentes sunt in sudores proniores. Causae autem
excitantes sunt numerosae, quae aut circulationem sanguini-
nis accelerant, ut motus corporis validior, animi affectus
vehementior, potus spirituosi, cibi et potus calefacientes,
pharmacæ diaphoretica; vel causæ cutim irritant, ut calor
externus siccus et humidus, emplastra, fomenta, cataplas-
mata, balnea; non raro producitur sudor antagonistice
per saburram in tubo alimentari existentem, per evacua-
tionem alvi vel urinae impeditam. Saepe sudor nimius est
tantum symptoma alterius morbi, ita in febribus cum cha-
ractere inflammatorio, in inflammationibus quoque topicis;
in stadio quidem primo inflammatorio intenso cutis est
sicca, sed gradu inflammationis decrescente sudor erumpit
cum levamine, dicitur sudor criticus, talemque observa-
mus etiam in febri rheumatica et catarrhali. Nec tamen
sudor nimius semper est effectus status energici, imo vero

saepe characterem habet asthenicum, qualis comparet in febribus cum charactere nervoso et septico, in typho contagioso Europaeo. Talis fuit etiam febris sudatoria Anglicæ seu sudor Anglicus, qui sub fine seculi XV. et medio seculi XVI. epidemice saeviebat in Anglia, inde propagata in Hollandiam, Galliam, Germaniam, Daniam, multa millia hominum enecuit. Statim sub exordio comparuit sudor nimius cum debilitate nimia, anxietate, inquietudine, cordis palpitatione, cephalaca, vertigine, etc. atque non pauci jam primis 24 horis, alii post duos tresve dies mortui sunt, qui morti evaserunt exhausti longiori tempore manserunt. Ab illo tempore febris haec sudatoria est tantum sporadica, et hic observata fuit in typho contagioso, et in febri intermittente perniciosa. In pluribus casibus sudor est symptoma febris hecticae, in ejus stadio ultimò sudor fit colliquativus; atque sic sudor longe frequentius est symptomaticus, subinde tamen nullum aliud morbum detegere valemus, quam debilitatem erethisticam, qualis inducitur per vigilias diurnas, profluvia nimia, lactationem diu protractam, per labores adstringentes.

W e d e l , Diss. de sudore Anglo. Jena e. 1697.

C a j u s , de ephemera Britannica. L o n d i n i . 1721. Recudi curavit J. F. C. H e c k e r . B e r o l i n i . 1833.

C. G. G r u n e r , Scriptorum de sudore Anglo superstitum, editio hactenus desiderata et adornata. J e n a e . 1804.

— Itinerarium sudoris Anglici ex actis designatum. J e n a e . 1805.

J. F. C. H e c k e r , Der englische Schweis. Erste Epidemie. 1485. (Wissenschaftliche Annalen der gesanimiten Heilkunde, 1833. Januar, S. 10.)

§. 85.

Pro diversitate dispositionis individualis ac momentorum excitantium sudor est vel continuus continens, vel remittens vel intermittens; relate ad effectum in organismum est sudor non raro habitualis, partialis, vel universalis, et dum producitur per statum organismi energicum, per morbos inflammatorios, tunc est criticus; in morbis etiam

asthenicis non raro sudor ad statum normalem partium solidarum et fluidarum restituendum confert et ideo salutaris est; dum tamen diu durat, profusus, tunc corporis debilitatem, emaciationem inducit, et febrim hecticam excitat, cuius saepe et symptoma et effectus est sudor nimius; atque dum febris hectica producitur per exulcerationem internam, ut phthisim pulmonalem, tunc sudor colliquativus in stadio ultimo resertur ad symptomata maxime ominosa; ita etiam sudor profusus in febri sudatoria Britannica et in febri intermittente perniciosa fuit semper periculosissimus, multos enecans, nisi therapia rationalis administrata fuerit.

§. 86.

In therapia ephidrosis conamur causas forte excitantes adhuc praesentes, ut calorem externum nimium, potus calidos diversos removere, saburram forte in tubo alimentari haerentem evacuamus. Dum causis excitantibus remotis sudor adhuc perdurat, investigationem instituimus in effectus relate ad organismum totum; non raro sudor habitualis, ut pedum ad sanitatem individui relativam est necessarius; post talis suppressionem morbi inducuntur gravissimi, ideo aegro tali consulimus, ut munditiem debitam observet, cutim sudantem quotidie aqua tepida, vel decocto emolliente abluat, ne adstringentem vel exsiccantem medicinam ullam adhibeat. Saepe sub decursu morborum diversorum sudor est vere criticus, nec talis unquam suppressendum, sed moderatus sustentandus per calorem externum temperatum, infusum tepidum florum sambuci vel tiliae. Tantum sudor nimius, inutilis therapiam requirit, et tunc indicationem desumimus a statu dyhamico-organico, per quem sudor talis sustentatur; subinde status talis dynamicus est energeticus, inflammatoryus mitior, ut in febribus catarrhosis, rheumaticis et in inflammationibus topicis, tunc contra ipsam ephidrosim methodus anti-phlogistica, subinde et sanguinis evacuatio indicata est, saepius tamen mitior methodus anti-phlogistica sufficit, decoctum hordei cum oxymelle simplici, nitrum, tremor tar-

tari, purgantia mitiora. Dum ephidrosis sustentatur per debilitatem erethisticam, ut in febri hectica, tunc saepe proficia sunt acida, et vegetabilia, magis mineralia, in primitis liquor acidus Halleri; subinde profuit infusum foliorum salviae a Swieten commendatum, subinde boletus officinalis seu laricis, per de Haen laudatus, subinde saccharum saturni, a Hildenbrand et Fouquier propositum; saepe plus praestant alia roborantia, vinum bonum, spiritus vini aqua dilutus; in febri sudatoria Britannica debebat aeger in lecto calido rite obtectus servari, per infusa aromatica, liquores aethereos, camphoram, praeparata ammoniae, sudor sustentabatur, vestimenta madida caute removebantur, aegri iterum calide obtegebantur, et sic plurimi sanabantur. In febri intermittente perniciosa diaphoretica cortex peruvianus est summe necessarius, in connubio tamen aliorum stimulantium, in primis vini et opii.

Sudore morboso sublato, ad recidivam impediendam cutis in primis status hypererethisticus imminui debet per vitae regimen roborans, motum corporis moderatum, lotiones cutis cum aqua frigida, in debilioribus cum vino, subinde necessaria sunt balnea frigida, vel vinosa, vel martialia.

PROFLUVIA TUBI CIBARII.

PTYALISMUS.

§. 87.

Ptyalismus seu **salivatio**, dicitur status ille morbosus, sub quo saliva ut plurimum qualitatis abnormis, quantitate excessiva secernitur, et partim deglutitur, partim vero ex ore profunditur. Nec sola saliva per glandulas salivales secreta ad masticationem et digestionem summe necessaria, sed etiam mucus per glandulas muciparas

cavi oris et liquidum vaporis instar per membranam vasculosam cavi oris exhalans in hoc profluvio participat.

F. Hoffmann, Diss. de saliva, ejusque morbis. Halae. 1694.

C. Röper, de salivatione critica in morbis acutis et chronicis. Halae. 1702.

Nuch, Sialographia, Lugduni Batav. 1728.

J. B. Siebold, Historia systematis salivalis, Jenae. 1797.

Otto, Diss. de ptyalismo generatim. Francofurti. 1804.

§. 88.

Profluvium hoc raro subito comparet, sed symptomata prodroma praecedunt jam breviori, jam longiori tempore, quae variant pro diversitate causarum ac dispositione aegri. Frequentissime percipit aeger in cavo oris ardorem majorem, gingivae incipiunt rubere, tumere, dentes apparent esse longiores, et evadunt sensibiles, halitus oris mutatur, foetorem peculiarem adipiscitur, simul accusat aeger dolores jam mitiores, jam intensiores, in regione vel parotidea vel submaxillari vel sublinguali, subinde tantum unius, saepe utriusque lateris, quae regiones intunescent; postea sequitur excretio largior salivae, quae aut continuo deglutitur, aut continuo exspuitur, sub morbo crescente quantitate magna, ad libras quatuor, quinque usque duodecim spatio nycthemeri; estque tenue, limpidum, excolor, aquae simile, saepe ab aere admixto spumescens, non raro ab admixta materia puriformi vel sanguine colorem habet lacteum, flavescentem, livescentem, rubrum; subinde est spissum et glutinosum, saepe insipidum, inodorum, non raro dulce vel acidum vel peculiaris saporis, saepe blandum, non raro acre, ut partes quas contingit inflammet, excoriet; propterea in ptyalismo graviori lingua, gingivae, membrana mucosa tota cavi oris monstrose intunescent, rubent, dolent, aphthis, ulceribus obsidentur, dentes vacillantes redduntur, propterea masticatio, deglutitio et loquela valde molestae evadunt, etiam somnus aegri est valde perturbatus, quia ore aperto dormire de-

bet; tunc cavum oris exsiccatur, licet saliva continuo profluat, dum autem os clauditur saliva accumulatur in faucibus, et sic metus suffocationis excitatur. In morbo graviori nunquam deest febris, non raro jam praecedens, characteris diversi, subinde inflammatorii mitioris vel intensioris, subinde septici vel nervosi.

§. 89.

Ad differentiam symptomatum conferunt momenta pathogenetica; omnis quidem homo in ptyalismum incidere potest, aliqui tamen ob statum peculiarem dynamico-organicum organorum sialagogorum congenitum, haereditate acquisitum vel tardius evolutum, se manifestantem per maiorem sensibilitatem et irritabilitatem organorum salivalium habent dispositionem eminentiorem ita, ut ad influxum etiam causarum minus vehementium hoc profluvio corripiantur. Causae excitantes per observatores adnotatae sunt variae, subinde per violentias externas, ut compressionem, contusionem, vulnera, inducitur ptyalismus traumaticus, cuius una species est fistula salivalis; frequentius provocatur per causas in cavo oris latentes, ut dentitionem, odontalgiam gravem, cariem dentis, per alimenta et potulenta nimis fervida ori imposita, vel per acria, ut sal, capsicum, piper, sialagoga, ut radicem tormentillae, histortae, pimpinellae, imperatoriae, per nicotianam tabacum; subinde per aphthas oris, glossitidem, isthmitidem, prosopalgiam, subinde per saburram in tubo alimentari haerentem, per vermes intestinales, per infarctus abdominales, per statum morbosum pancreatis vel uteri, cuius solus status gravidus subinde hoc profluvium provocat; subinde excitatur antagonistice, dum evacuationes aliae habituales, in primis sudor supprimuntur; non raro ptyalismus est symptoma alterius morbi, ut variolarum sub stadio suppurationis, nevrosium, ut hydrophobia et apoplexia, non raro febris intermittentis, vel etiam continuae remittentis, quae tunc a nonnullis vocatur febris sialogoga. Causa tamen excitans frequentissima ptyalismi est hydrargyrum.

S. T. Quellmalz, de ptyalismo febrili. Lipsiae. 1748.

J. C. Sebastian, das Speichelieber, (Heidelberger klinische Annalen, 1827. Bd. III. H. I.)

§. 90.

Momentis nosographicis et pathogeneticis inter se combinatis, per reflexionem definimus characterem dynamico-organicum ptyalismi, sit-ne energeticus, vel asthenicus, erethisticus, vel asthenicus torpidus, et inde etiam sententiam de exitu morbi probabili pronunciare possumus. Non raro ptyalismus morbus est levior, causis excitantibus remotis, per solam autocratiam naturae cito tollendus, sed non raro profluvium hoc diu durat, valde molestum, masticationem, imo et digestionem ac proinde etiam nutritionem impedit, ideo corpus emaciatur, in statum cachecticum conjicitur, subinde per salivam acrem inflammatio in cavo oris gravior inducitur, et per illam, et per salivam copiosam in fauces tempore somni irruentem, aegri suffocati sunt, quos tamen effectus noxios therapia rationalis in plurimis casibus feliciter removet.

§. 91.

Indicatione curae prima conamur causas excitantes forte adhuc praesentes removere, ita irritamenta mechnica vel chemica e cavo oris excipimus, calculum salivalem vel dentem cariosum extrahimus, saburram in tubo alimentari haerentem, vermes intestinales eliminamus, infaretus abdominales resolvimus, evacuationes habituales suppressas restituimus, alium morbum, ut variolas vel febrim continuam aut intermittentem, cuius symptoma constituit salivatio, propria therapia impugnamus; in casu ptyalismi mercurialis, aegrum actioni hydrargyri subtrahimus.

Si causis remotis adhuc salivatio perduraverit, tunc indicationem curae ulterioris desumimus a charactere dynamico-organico, per quem secretio morbosa salivaee sustentatur. Subinde ptyalismus et febrilis et a hydrargyro excitatus characterem habet manifeste inflammatorium,

non tantum per symptomata topica in glandulis salivalibus, et in membrana mucosa cavi oris, sed etiam symptomatis universalibus, nempe febris cum charactere inflammatorio se manifestantem, et tunc methodus antiphlogistica strictior est necessaria, venae-sectio vel hirudinum aut curbitularum eruentarum applicatio ad collum. Non raro haec methodus necessaria est in ptyalismo comparente sub stadio suppurationis variolarum. In casibus tamen pluribus ob characterem inflammatorum organorum sialagogorum haud exaltatum, jam mitior methodus antiphlogistica ad scopum deducit, scilicet praeter vitae regimen antiphlogisticum aër purus, decoctum emolliens, emulsio amygdalarum dulcium tenuis, quibus addimus saepe nitrum, cremorem tartari, salem ammoniacum vel tartarum emeticum dosi refracta. Eodem tempore adhibemus pro collutorio oris aquam tepidam, vel lac tepidum, vel decoctum emolliens e surfuribus, foliis malvae, vel radice althaeae, externe applicamus collo calorem siccum, vel cataplasma emollientia.

§. 92.

Methodus nunc laudata non raro effectu desiderato destituitur, pharmaca necessaria sunt, quorum ope irritabilitas organorum sialagogorum peculiari modo exaltata immiuatur; in ptyalismo mercuriali saepe cum utilitate adhibetur sulfuretum lixiviae vel calcis, quod pharmacum post Hahnemann adhibetur in solutione, nos in pilulis cum melle vel extracto liquiritiae praescribimus; non minorem virtutem exerunt flores sulfuris a quatuor granis usque scrupulum pro nycthemero exhibiti, forma pulveris cum saecharo vel in pilulis. Saepe magis utilia sunt alia antagonistica remedia, ut diaphoretica mitiora, flores tiliae, sambuci, roob sambuci, ebuli, spiritus Mindereri, ipecacuanha vel tartarus emeticus dosi refracta, purgantia mitiora antiphlogistica; quorum virtus exaltatur per pediluvium tepidum, semicupium tepidum, subinde per epispastica, sinapismum, emplastrum cantharidum, unguentum vel

emplastrum antimoniale, quae collo, nuchae vel extremitatibus imponimus.

Subinde ptyalismus perdurat ob sensibilitatem et irritabilitatem organorum sialagogorum multum exaltatam, tunc collutoriis oris et cataplasmatibus emollientibus addimus dosi moderata narcotica, ut herbam cicutae vel hyoscyami, capita papaveris albi, interne quoque extractum hyoscyami vel cicutae, vel opium, frequentissime cum ipecacuanha praescribimus, attendendo semper ad effectus, ne temulentiam capitum, vel alia phaenomena narcotismi inducant.

Subinde ptyalismus perdurat molestus ob gradum maiorem debilitatis, tunc indicata sunt magis roborantia, pro collutorio oris adhibemus infusum vel decoctum herbae salviae cum roob mororum, sub majori gradu debilitatis decocta adstringentia, corticum quercus, salicis albae, radicis tormentillae, solutionem aluminis in aqua vel potius in vino rubro, interne exhibemus camphoram, subinde radices vel flores arnicae, radicem angelicae vel valerianae, corticem cinchonae, corticem cassiae ligneae, martialis, in primis autem vinum bonum.

R U M I N A T I O.

§. 93.

Ruminatio humana, merycismus, est ille morbus rarissimus, sub quo motus anti-peristalticus ventriculi communicatur etiam oesophago, per quem alimenta et potuenta ingesta, antequam digesta sunt, placide, sine nausea, sine vomititione in cavum oris regurgitant, ibi aliquo tempore voluntur, et iterum deglutiuntur, eadem ratione ut in pecoribus ruminantibus. Ideo distinguitur hic morbus et a vomitu, et a ructibus. Praeter regurgitationem et deglutitionem novam observantur alia symptomata, sed haud constantia; ita aliqui aegri fame nimia,

alii anorexia vexantur; alii dolores in regione epigastri. ca vel alia abdominali experiuntur, alii a doloribus omnibus immunes sunt; alii alvo pertinaciter obstipa, alii diarrhoea laborant; aeger a I. P. Frank relatus maxime affligebatur symptomatibus hypochondriasis.

Bretschneider, Diss. de ruminatione humana. Göttingae. 1774.

Ackord, Diss. de ruminatione humana, singulari casu illustrata. Halae. 1783.

Meyer, Diss. de ruminatione humana. Erlangae. 1792.

Buxton, Diss. enarrans ruminationis humanae casum. Göttingae. 1802.

Neergard. Commentatio, an verum discrimin organorum digestioni inservientium inter animalia herbivora, carnivora et omnivora reperiatur. Göttingae. 1805.

J. C. Heiling, Über das Wiederkauen bei Menschen. Nürnberg. 1824.

§. 94.

Differentiae symptomatum in morbo individuali dependent partim a constitutione aegri propria, partim a causis excitantibus; subinde testante S. Vogel producitur morbus per vermes intestinales, subinde ut in aegro a J. P. Frank observato, causa excitans et sustentans fuit seirrhous pancreatis; in aliis casibus nullum plane vitium organicum detegi poterat, sed tantum consuetudo mala, jam a tenera aetate contracta, dum nempe alimenta et potulenta vix deglutita subinde e ventriculo in os regurgitant, atque ad saporem vellicandum ore voluntur, mox iterum deglutiuntur, quod suepius repetendo, tandem in habitum abit.

§. 95.

Pro diversitate causarum ac duratione morbi, diversa est prognosis et therapia. In genere praeterquam quod ingratus sit in societate, vitae periculosus non est morbus, nam nulla contingit evacuatio alimentorum, potius secunda

vice perficitur masticatio, tantum morbus complicatus potest exitum funestum nanesci; ita morbus a J. P. Frank descriptus per quadraginta annos duravit, aeger tandem tabe consumptus, extinctus est, non propter ruminacionem, sed propter scirrum pancreatis.

Indicationem curae desumimus a causis excitantibus, ita vermes intestinales antihelminthicis congruis eliminamus; si causa fuerit sola consuetudo mala, ut frequentius accidit, tunc voluntas aegri firma necessaria est ad curam perficiendam, ut nempe regurgitationem alimentorum ac potulentorum inchoantem statim voluntate sua reprimat; quem in finem debet tantum alimenta ad semel pauca, ea que facilis digestionis, non dura, non flatibus generandis faventia, sed saepius ingerere; ad robur ventriculi ut plenum debilioris augendum et ad voluntatem aegri firmandam, optima medicina est vinum bonum antiquum, dosi moderata sumtum.

V O M I T U S.

§. 96.

Vomitus, emesis seu hyperemesis, morbus frequens, saepe quidem levior, sed saepe periculis summis stipatus, saepius symptoma morbi alterius, non raro tam ipse morbum principalem protopathicum constituit, consistitque in motu anti-peristaltico ventriculi, quo ejus contenta per oesophagum, os et subinde etiam nares evanuantur.

Abel, Diss. de vomitu. Lugd. Batav. 1707.

Niczky, Diss. de vomitu periodico, a cephalaea periodica orto, casu quodam illustrato, Halae. 1770.

S. J. L. Doering, Diss. Hippocratis doctrina semiotica de vomitu. Marburgi. 1792.

Blummer, Diss. sistens critiken theoriae vomitus. 1801.

Vogt, Diss. de vomitu sympathico haud raro perutili. Vittebergae. 1802.

Magendie, Mémoire sur le vomissement. Paris. 1813.

G. F. L. Baur, de vomitu chronico. Marburg. 1815.

§. 97.

Ad naturam morbi individualem cognoscendam obser-
vari debent symptomata, quae vomitum praecedunt, co-
mitantur et sequuntur; non raro sine ullis prodromis ho-
minem apparenter sanum inopinat^e vomitus corripit, et
quidem subinde sine ullis symptomatibus molestis placide
persicitur, ut id contingit in infantibus, qui avidissime
ubera sugunt, et lac copiosum placide evomunt. Frequentius tamen praecedunt prodroma, jam breviori, jam lon-
giori tempore, aeger persentit dolorem jam obtusum, jam
acutiorem pressionis, tensionis, constrictionis vel ardoris
in regione epigastrica cum appetitu cibi imminuto, saepe
nullo, aversatione cibi vel omnis, vel tantum aliquorum,
ut animalium, citius tardiusve accedit nausea, jam pro-
ducta per motum anti-peristalticum ventriculi, a pyloro
versus cardiam, et inde in oesophagum, estque juncta cum
sensatione ingrata, aversatione cibi et potus omnis, sensu
debilitatis magnae, capitis gravitate, sensuum externorum,
inprimis visus obfuscatione, cum vertigine, pallore, ex-
tremitatum frigore et propensione in animi deliquium. Post
nauseam hanc brevi durantem, sed iterum revertentem et
semper magis incommodam sequuntur saepe ructus di-
versi odoris ac saporis, vomitatio seu nisus involunta-
rius vomendi, ubi motus anti-peristalticus jam major est,
quam in nausea, nedum tamen adhuc sufficiens ad vomitum
producendum; sub hac vomiturtione adest sputatio fre-
quens, labia oris tremunt, et tandem subsequitur vomitus,
in multis cum ejulatu ac rugitu, et concussione totius cor-
poris violenta. Evacuatione peracta symptomata priora
silent, corpus saepe incidit in sudorem gratum, et multi
levamen experiuntur, saepe tamen emendatio haec valde

brevis est, symptomata priora, non raro intensiora et vomitus saepius adhuc recurrunt.

Practer symptomata hanc evacuationem concomitantia adnotamus etiam quantitatem et qualitatem eorum, quae evacuantur; saepe quantitas est minor, paucarum tantum unciarum, saepe magna, plurium librarum; saepe evacuantur tantum alimenta et potulenta ingesta, adhuc immutata, vel tantum pro parte digesta, non raro corrupta, foetida; saepe evacuantur liquida inquilina, mucus, succus gastricus, bilis, succus pancreaticus, subinde sanguis, materia puriformis, purulenta, ichor, vermes intestinales, calculi biliosi, subinde concrementa polyposa vel adipocerea seu sebacea; in vomitu violento cum pertinaci alvi obstipations nexo evacuantur ipsa excrements, dicitur ileus; relationes de evacuatis serpentibus et ranis, diu in ventriculo nidulantibus, ad fabulas pertinent.

§. 98.

Ut naturam individualem vomitus cognoscamus, conanmur in singulo casu etiam causas eruere. Causa proxima omnis vomitus est motus anti-peristalticus ventriculi, dum per contractionem violentam a pyloro versus cardiam et inde per oesophagum propagatam contenta a ventriculo ejiciuntur. Nec tamen per actionem solius ventriculi perficitur vomitus, sed experimenta plurima a Magendie instituta probant, vomitum in primis perfici actione diaphragmatis et muscularum abdominalium, quorum actione impedita impeditur et vomitus. Rari sunt homines qui vomitu nunquam corripiuntur; non pauci dispositionem peculiarem habent in hunc morbum congenitam aut tardius acquisitam, quae consistit in irritabilitate morbose exaltata diaphragmatis, muscularum abdominalium et ventriculi, quae non raro sustentatur etiam per vitia organica partim ventriculi, partim partium vicinarum.

Causae excitantes sunt numerosae; sic frequenter excitatur vomitus idiopathicus per ingesta qualitate noxia praedita, ut acria, spirituosa, venena vegetabilia, mine-

ralia, et animalia; non raro etiam alimenta et potulenta blandiora nimia quantitate ingesta, dum digeri non possunt, solo volumine ventriculum irritant, et vomitum provocant; ita infantes, qui continuo sugunt, non raro sub ipsa suctione lac vix mutatum placide vomitu evanuant, ita et apud pueros ac adultos accedit, in primis dum vesperi alimenta et potulenta copiosa absumunt, vino vel alio li- quido spirituoso subigunt, donec somno obruuntur, sub quo digestio pro parte perficitur, mane excitati caput temulentum et saporem oris ingratum persentiantur, donec vomitu crambem semi-digestam, saepe vino tinctam ejiciunt, dicitur vomitus helluonum. Non raro liquida morbose secreta, ut mucus, succus gastricus, bilis ventricum irritant, et vomitum provocant.

Non raro status dynamico-organicus, causam proximam emesis constituens est phlogosis ventriculi jam acuta, jam chronica, qualis excitatur per spirituosa, per venena caustica, acria, subinde antagonistice, ut per arthritidem e pede evanidam, vel per evacuationes habituales urinae, alvi, sudoris, haemorrhagiae suppressas. Saepius sine inflammatione ulla, tantum sensibilitas ac irritabilitas ventriculi, diaphragmatis et musculorum abdominalium morbose exaltata, talis observatur vomitus in hysteris ac hypochondriacis, talis excitatur per repraesentationem rei nauseosae, dum alium vomentem conspicimus, talis provocatur per motum corporis vehementiorem, in primis per motum in gyrum; non pauci etiam dum curru vehuntur, in primis dum dorsum aurigae obversum habent, vomunt; similis est vomitus maritimus, quo corripiuntur qui navi in mari vehuntur, aliqui tantum prima vice, alii semper, quod non ab aere maritimo, sed a motu undulatorio producitur, nam violentior est, dum mare fluctibus exagitatur.

Subinde vomitus excitatur ob statum asthenicum, torpidum, paralyticum ventriculi, quod observatur in voracibus, quorum ventriculus ab ingestis copiosis adeo dilatatur, ut subinde usque ad umbilicum, imo usque ad sym-

physim ossium pubis pertingat; *ingesta copiosa accumulata* in hoc sacco dilatato corrumpuntur, et tunc vomitus excitatur; talis torpidus asthenicus vomitus locum habet etiam in febri cum charactere septico, in febri flava Americana et post apoplexiā.

Saepe vomitus chronicus non dependet tantum a statu dynamico abnormi, sed a vitio organico ventriculi, et quidem non raro adsunt indurations, jam ad partem minorem ventriculi restrictae, jam latius extensae, quae frequentissime deteguntur in pyloro, indeque extenduntur per intestinum duodenum, provocanturque per inflammations latentes, post usum excessivum spirituosorum, in primis crenati; ideo morbus frequens est in Anglia et in regionibus septentrionalibus; non raro potibus spirituosis nullis degustatis, per alias causas phlogosis illa occulta alitur. Tales aegri saepe per menses, imo annos post ingesta experiuntur in ventriculo dolorem obtusum, pressionem, tensionem, flatulentiam, quae incommoda, dum moderate vivunt, et a spirituosis abstinent, inominuntur, silent, dum vero dyspepsiam illam a debilitate derivant, dosim spirituosorum augent, vel ad amara stomachica, aut emetica recurrent, tunc molestiae augmentur, et sensim vomitus chronicus evolvitur, qui quotidie duabus vel tribus horis post cibos ingestos contingit, dum nempe chymus in duodenum exprimitur, per ostium induratum impedimentum ponitur, sic ventriculus irritatur, vomitus excitatur, sub quo pars chymi ejicitur per oesophagum, pars tamen in duodenum defertur. Talis vomitus ab induratione aegrū affligit saepe per plures annos, non raro transit in scirrum, aeger emaciatur, pallidus redditur, post ingesta experitur in regione epigastrica ac hypocondriaca dextra dolores magnos, saepe intolerabiles, quibus accedunt anxietas, tremor et frigus extremitatum, tandem vomitus, quo non tantum ingesta, sed liquidum foetidum fuscum, sedimento coffeae nigrae simile evacuatur.

Aliud vitium organicum ventriculi vomitum excitans, tantum recentioribus temporibus observatum, apud nos

adhuc rarum est emollitio morbosa ventriculi, subinde tanta, ut ventriculus etiam perforetur, qui morbus in Germania, Gallia et Anglia, subinde in adultis, saepius in infantibus observatus est, seque manifestat per ejulatum continuos, vomitum omnium, quae ingeruntur, emaciacione celeriter crescente, accendentibus symptomatibus febris asthenicae cum charactere nervoso septico, tunc intra paucos dies extinguntur et in cadavere detegitur emollitio, subinde cum perforatione.

Saepe ventriculo ipso vicio organico omni libero vomitus excitatur per consensum, quem ventriculus nervorum copiosorum ope alit cum toto organismo; ita per cephalaeam intensam, violentias mechanicas capiti illatas, encephalitidem, hydrocephalum acutum, odontalgiam intensorem, ut sub dentitione molesta, ita per inflammaciones partium cavo abdominis inclusarum, diaphragmitidem, per ripneumoniam, hydrothoracem, tubercula et vomicas pulmonum, ita per infarctus hepatis, lienis, pancreatis, calculos biliosos, urinarios, uterus gravidum vel in morbo statu constitutum, per morbos testiculorum vomitus exatatur. Subinde eundem provocant tumores glandularum mesentericarum, steatoma, serum nimia quantitate in abdomen accumulatum, aneurysma, arteriae coeliacae, frequentius per statum abnormem tubi intestinalis, ut per vermes intestinales, per saburram morbose accumulatam, per herniam, in primis incarceratam, per volvulum seu intus-suscitionem partis unius tubi intestinalis in partem aliam. A volvulo tali repetitur vomitus maxime violentus, nempe ileus, nec tamen cum fundamento sufficienti, nam in cadaveribus non raro deteximus volvulum, quin symptomata ulla ilei praegressa fuissent, et post ileum morte terminatum in cadavere volvalus nullus detectus est. Inducit morbus terribilis ab obstructione magna tubi intestinali per excrementa indurata, deglutita corpora dura, ut nucleus cerasorum, prunorum vel monetas cupreas, per vermes intestinales, in primis ascarides lumbricoides conglomeratos, subinde per spasmus tonicum partem aliquam intestinalem

ilei violenter constringentem, in pluribus casibus per inflammationem intensiorem partis alicujus tubi intestinalis, ut in hernia incarcerata accidit.

Non raro vomitus est tantum symptoma alterius morbi, ut febris gastricae et continuae et intermittentis, eujus una species emetica dicitur; non raro est symptoma inflammationum, exanthematum, ut variolarum, neurosum, ut tussis convulsivae. Cum in vomitum producendum influxus nervorum adeo magnus est, ideo nonnulli nosologi vomitum retulerunt ad neuroses.

Richter, Diss. de intumescente et calloso pyloro. Göttingae. 1764.

J. Bleuland, Tractatus de difficult aut impedito alimentorum ex ventriculo in duodenum progressu. Lugd. Batav. 1787.

J. N. Petzold, von Verhärtung und Veränderung des untern Magenmundes. Dresden. 1787.

F. Franz, Diss. de angustatione pylori callosa. Marburgi. 1796.

K. G. W. Kade, de morbis ventriculi ex materiei animalis mixta formaque laesa. Halae. 1798. (Reil's Archiv für Physiologie Bd. IV. Hft. 3.)

J. E. Wichmann's Ideen zur Diagnostik. Hannover. 1800. Bd. I. S. 165.

F. Chardel, Monographie des dégénérations squirrheuses de l'estomac. Paris. 1808.

E. F. K. Klaproth, de scirrho ventriculi. Berolini. 1827.

René Prus, Recherches nouvelles sur la nature et le traitement du cancer de l'estomac. Paris. 1828.

Jäger, über die Erweichung des Magengrundes. (Hufeland's Journal der prakt. Heilk. Bd. 36. S. 23).

F. X. Ramisch, Diss. de gastromalacia et gastropathia infantum. Pragae. 1824.

F. Fels, Diss. de gastromalacia infantum. Lipsiae. 1827.

J. W. Cammerer, Versuch über die Natur der krankhaften Magenerweichung. Stuttgart. 1826.

§. 99.

Prognosis vomitus variat, pro diversitate momentorum nosographicorum et nosogeneticorum. Non raro vomitus salutaris, criticus est, in primis quidem in febribus gastricis, sed subinde etiam in aliis morbis, forma diversa sese exhibentibus; saepe vomitum observamus periculosum, per concussionem corporis vehementem provocantur herniae, prolapsus, epistaxes, haemorrhagiae aliae, abortus, in praedispositis spasmi, apoplexia etc.; per vomitum diuturnum exhauriuntur vires, emaciatur corpus, et sic tabes evolvitur. Ut prognosim cum probabilitate pronunciare valamus in singulo casu individuali, momentorum complurium rationem habere debemus; aetatis, nam vomitus in infantibus est minus periculosus, quam in adultis et senibus; status hominis diversi, nam vomitus tempore fluxus catamenialis, graviditatis, in homine calculis biliosis, vel urinariis affecto, ad herniam, vel haemorrhagiam, vel apoplexiam praedisposito est longe periculosior, quam in alio, diathesibus illis morbosis libero; variat prognosis pro diversitate causarum, nam excitatus per ingesta alimenta vel potulenta est minus periculosus, quam provocatus per venena acria; ita vomitus sub paroxysmo febris intermittentis, vel sub stadio eruptionis exanthematis, est in genere minus periculosus; qui symptoma constituit enccephalitidis, vel hydrocephali acuti incipientis, vel apoplexiae instantis, est nimis periculosus; qui characterem dynamicum erethisticum mitiorem exhibit, in genere minime pertimescendus; qui characterem inflammatorium in gradu eminentiori, vel paralyticum habet, vel per via organica ventriculi sustentatur, prognosim habet tristem, ut plurimum diu afflit aegrum, tandem morte terminatur. Saepe tamen therapia rationalis successu felici adhibetur contra vomitum.

§. 100.

Antequam curam adornamus, ex diagnosi quantum fieri potest exacta, definimus, sit-ne vomitus criticus, aegro-

salutaris, tunc haud suppressus, potius moderate promovendus et facilitandus est. Dum aeger sufficienti quantitate vomit, nullum pharmacum exhibemus, tantum attentionem commendamus, ne per vomitum sanitas aegri magis laedatur; ideo tam infantes, quam adultos, dum in situ jacente constituti vomitu corripiuntur, ne suffocentur, elevamus, caput antrorsum versus inclinatum sustentamus, hernia forte praesente ad evitandam incarcerationem brachium idoneum applicamus; ad facilitandum vomitum aquam tepidam vel infusum tepidum florum chamomillae vel tiliae exhibemus parva quantitate; dum vomitus sponte tantum exiguus locum habet, signis saburrae sursum versus turgentis praesentibus, tunc commendamus irritationem faucium digiti vel plumae ope, potum aquae tepidae majori quantitate, et his haud sufficientibus, emeticum prescribimus. Ita emesis a copiosis alimentis et potulentis inducta, non raro etiam emesi sanatur; nec tamen semper, nam saepe per ingesta non tantum simplex irritatio, motus abnormis, sed etiam alter status morbosus, saburra quoque evacuata perdurans provocatur, et tunc praeter evacuationem saburrae alia etiam therapia necessaria est, in primis dum vomiturio vel vomitus per venena acria, caustica, ut acida mineralia concentrata, alcalia caustica, venena metallica acria, vegetabilia et animalia acria, ut cantharides inducit, tunc per haec venena aliquo tempore in tubo alimentari haerentia ventriculi et tubi intestinalis inflammatio periculosissima inducitur. Quotiescumque rescimus venena deglutita fuisse, indicationem primam formamus, ut venenum citissime e ventriculo evacuetur, quod optime efficitur per emesim. Venena quaedam, ut narcotica, opium, emesim haud provocant, imo ventriculum paralyticum reddunt, tunc emetica dosi magna et fortiora, ut vitriolum zinci vel cupri, indicata sunt. Sed venena acria ipsam emesim provocant, tunc emetica sunt noxia, inflammationem periculosam augent, tunc emesis promoveri debet tantum per aquam tepidam copiosam, quae etiam indicationi alteri curae satisfacit; venenum nempe degluti.

tum debet attenuari, dilui, obvolui, ut virtus ejusdem noxia attenuetur, cui scopo aqua pura est utilissima; sed simul conari debemus, ut effectum noxiū veneni acris, inflammationem quippe, imminuamus, et resolvamus, cui scopo indicata sunt emollientia; contra plurima venena maxime congruum est lac dulce, tantum dum venenum deglutitum fuit acidum, minerale, concentratum, ut nitricum, tunc lacti praferendum est decoctum emolliens e furfuribus, radice althaeae, salep, vel solutio gummi arabici; utilia sunt olea blandissima pressa, ut oleum lini, olivarum, amygdalarum dulcium, axungia, butyrum, quae aqua tepida solvuntur et sic hauriuntur. Contra acida mineralia concentrata et sales metallicos venenatos idoneum antidotum est sapo solutus sive in aqua, sive lacte; ne tamen alcalia dosi magna porrigantur, facile fortius irritant et inflammationem augent. Dum forte alcalia caustica deglutita sunt, tunc acida et vegetabilia, et mineralia diluta sunt maxime indicata; ita etiam contra venena narcotica, ut opium, antidota optima sunt acetum vel succus citri. Hepar sulfuris olim in solutione contra venena metallica, ut arsenicum, mercurium sublimatum corrosivum, maxim commendabatur, donec experimenta plura in animalibus et observationes etiam in hominibus factae docuerunt inefficaciam hujus remedii. Contra venena metallica aeria efficissimum remedium possidemus in albumine ovi, majori quantitate praeparamus, sumendo ad libram aquae quatuor ovorum albumina, misceamus saccharo sufficienti quantitate; et hoc frequenter exhibemus aegro. Idem remedium maxime convenit contra cantharides; minime tunc commendi potest oleum, nec contra cuprum, plumbum et tartarum emeticum proficuum. Si laudata remedia statim post venenum deglutitum adhibentur, saepe noxii effectus ulteriores impediuntur, sed dum per actionem venenorū jam alii status morbosī, ut inflammations, paralyses, spasmi terribiles inducti fuerint, tunc contra hos status morbosos therapia dirigenda est.

§. 101.

Nec tamen vomitus omnis inducitur per ingesta, sed saepe saepius per alias causas, ut per morbos alios, jam symptomaticae, jam antagonistice, et tunc curam dirigirius contra morbum protopathicum; sic dum vomitus symptoma est peripneumoniae, hepatitidis, metritidis, vel alterius inflammationis, tunc etiam contra vomitum methodus antiphlogistica est indicata; si vomitus fuerit symptoma calculorum, vel vermium intestinalium, vel herniae incarceratedae, tunc a natura individuali morborum illorum desuminus indicationem curae; si vomitus constituerit symptoma febris intermittentis, tunc saepe cortice cinchonae, tempore apyrexiae exhibito sanatur; si post arthritidem subito e pedibus evanidam, vomitus exortus fuerit, tunc in primis necessaria est irritatio cutis in illo loco, ubi ante arthritis sedem figebat.

Dum causae excitantes specificae non amplius adsunt, sed vomitus idiopathicus sustentatur per statum dynamico-organicum ipsius ventriculi abnormem, tunc eundem removere conamus; sic si induratio adfuerit in parte maiore vel minori ventriculi, tunc commendamus, ut momenta indurationem generare aut sustentare valentia, potus spirituosi, refrigerium, vita sedentaria, animi affectus ingravitentur, et si adfuerint symptomata inflammationis chronicae, subinde topica sanguinis evacuatio hirudinum ope' est necessaria, diaeta blandissima, solventia mitiora, ut succi herbarum recentes, extractum in primis taraxaci, extractum cicutae cum calomela, etc.

Si status organiens indurationi oppositus, emollitio nempe morbosa, causam vomitus constituerit, tunc cura adhuc est difficilior, instituenda secundum characterem individualem morbi, qui saepe, docente Richter, est effectus inflammationis ventriculi, et ideo per methodum antiphlogisticam mature adhibitam impediri potest; saepe, docente Jäger, tantum per debilitatem et laxitatem ven-

triculi sustentatur, atque tunc tonica adstringentia utilitas praestant.

§. 102.

Saepe nullum vitium organicum pro causa vomitus agnoscendi potest, sed status dynamicus solus abnormis, mobilitas nempe morbosa. Subinde per influxum potentiarum nocentium excitatur in parte ventriculi jam minori, jam majori phlogosis, causam vomitus constituens, tunc per solam methodum antiphlogistica curandam; saepe vomitus phlogosis symptomatibus nullis praesentibus per solam irritabilitatem morbose exaltatam in hysterics, hypochondriacis, gravidis, producitur, tunc indicata sunt initio emollientia blandissima, ut mucilago gummi arabici cum aqua et saccharo, amylum, in primis autem acidum carbonicum, quod subinde sic praescribimus: carbonatis magnesiae, tartratis lixivae aciduli ana drachmas duas, sacchari albi unciam semis, uno cochleari coffeaceo miscetur aqua et sub effervescentia deglutitur; vel carbonatis lixivae drachma una solvitur in aquae destillatae unciis sex, et pro circumstantiis omni hora vel omni trihorio uno cochleari sumitur, statim desuper hauritur uno cochleari solutio adha, parata ex succi citri recenter pressi unciis duabus cum aquae destillatae unciis sex; vel ex spiritus vitrioli drachma semis et aquae destillatae unciis sex. Frequentius hodie praescribimus: bicarbonatis sodae granum unum, duo, sacchari albi scrupulum semis, tales doses duodecim acidii tartari grahem unum, duo, sacchari albi scrupulum semis, tales doses duodecim, sub usu pulveres duos miscimus, et aqua affusa sub effervescentia exhibemus. Eodem scopo utiliter adhibentur acidulae, ut Szalatnyenses, Feredienses, Borszekenses, Bilinenses, Egeranae salsa e Selteranae, quibus subinde instillamus succum citri velnum album; non minus gratum anti-emeticum est vintum campanicum, subinde ad hypercinesiam ventriculi immundam, liquor acidus Halleri in aqua vel decocto emolliente dilutus, efficacior est.

Subinde acida effectu desiderato carent, vomitus producitur per saburram acidam ita, ut halitus etiam oris acidum spiret, quod in infantibus frequenter occurrit, et tunc contra vomitum longe magis proficia sunt alcalia, absorbentia, ut pulvis lapidum cancerorum, carbonas magnesiae, magnesia usta, kali carbonicum, bicarbonas sodae, quae frequentissime in pulvere exhibemus, a grano uno usque scrupulum cum saccharo vel elaeosaccharo foeniculi, chamomillae vel menthae.

Non raro vomitus sustentatur per statum peculiarem dynamicum nervorum, per sensibilitatem morbose exaltatam, tunc indicata sunt narcotica; subinde sufficit extractum hyoscyami, saepius tamen necessarium est opium. Subinde majorem efficaciam exerit ipecacuanha dosi refracta, vel in pulvere, vel in infuso exhibita.

Nonnunquam vomitus rebellis pharmacis hucusque laudatis tollitur aqua frigida, glacie, parva quantitate sed saepius ingesta, quo remedio potentissimo ipse ileus per hypercinesiam eminentem sustentatus sanatur.

Dum vomitus sustentatur per statum hypererethisticum, asthenicum ventriculi, diaphragmatis et muscularum abdominalium, tunc non raro et stimulantia in usum vocari debent, ut infusum florum chamomillae vulgaris, foliorum aurantiorum, herbae melissae, menthae, liquores aetherrei, vinum bonum, in primis Tokayense; ubi vero vomitus sustentatur per debilitatem torpidam, ibi stimulantia acriora, ut semen sinapis, capsicum annum, piper nigrum, cinnamomum, nux moschata, cortex canellae albae etc. indicata sunt.

§. 103.

Praeter interna remedia externa etiam adhibemus, varia pro diversa indole vomitus, ita contra vomitum inflammatorium fomenta et cataplasma emollientia, contra vomitum erethisticum pannos calidos, cineres, avenam, salem calefactum, vel herbas aromaticas sacculis inclusas; vel regioni epigastricæ illinimus linimentum volatile, li-

nimentum saponato-camphoratum; spiritum aromaticum; vel imponimus fomenta aromatico-vinesa, cucurbitulas siccas seu ventosas, his hand sufficientibus, sinapismum, subinde emplastrum cantharidum, et ipsam moxam.

Morbo molesto sublato, non raro ad recidivam impedirendam, praeter evitationem causarum individualium, etiam cura postuma necessaria est, pro diverso statu dynamico organico modificanda, jam antiphlogistica, jam solvenda, jam roborans.

D I A R R H O E A.

§. 104.

Diarrhoea vocatur etiam pro fluvium ventris sepius alvi fluxus, estque ille status morbosus, sub quo alvi evacuatio frequentius contingit, quam in statu normali consuevit, ita ut per excretionem hanc quantitate abnormem sanitas organismi plus minusve labefactetur. Evacuatio quidem alvi ad sanitatem conservandam summe necessaria est, ut pars magna ingestorum e chymo in tubo intestinali separata, pro chylo generando haud idonea, cum liquoribus aliis inquiline, in primis in hepate, pancreate, ac in ipso tubo alimentari secretis, in intestino recto gradum aliquem corruptionis perpessa, e corpore eliminetur, quae evacuatio in homine sano quotidie semel, et quidem plerumque horis matutinis contingit, quin tamen haec regula constans sit, nam non pauci sunt homines, qui tantum tunc gloriantur de sanitate, dum quotidie bis vel ter alvum depo-nunt, alii vero dum omni secundo, vel octavo die alvum evacuant. Quotiescumque evacuatio frequentius contingit, quam sanitas relativa individui desiderat, tunc vocatur diarrhoea.

M. Lamborda, Ventris fluxus multiplex, ex antiquorum et recentiorum monumentis propositus. Amstelodami. 1756.
Francfurti et Lipsiae. 1792.

Mengor, Diss. de diarrhoea. Hafniae. 1780.

Betham, Diss. de diarrhoea. Edinburgi. 1787.

Rath, Diss. de diarrhoea. Erlangae. 1787.

Diederichs, Diss. de diarrhoea. Erfurti. 1793.

C. B. H. Werkshagen, Diss. de valore critico diarrhoeae. Halae. 1795.

§. 105.

Ut naturam individualem profluvii hujus cognoscere valeamus, attente colligimus symptomata, quae praecedunt, comitantur et sequuntur. Non raro in homine apparenter sano, prodromis nullis praegressis comparet diarrhoea, saepe tamen longiori vel breviori tempore experitur aeger appetitum cibi imminutum, flatulentiam, ructus, capitis gravitatem, dolorem, oris siccitatem, sitim, sputationem frequentiorem, nauseam, vomiturbationem, sensum ponderis in lumbis et femoribus, animum morosum. Post haec contingit alvi evacuatio, sub qua non raro persentit aeger dolores in abdomen, in intestino recto, subinde nauseam, vomiturbationem, imo animi deliquium; post evacuationem absolutam laudant plurimi levamen, caput evadit magis serenum, animus hilarior; non raro tamen remanet post evacuationem sensus debilitatis, jam longiori jam breviori tempore durans. Ad diagnosim construendam, adnotari debet et quantitas et qualitas materiae evacuatae. Relate ad qualitatem distinguuntur species diarrhoeae plures, nempe diarrhoea stercoracea, biliosa, seroso-mucosa, lienteria, fluxus coeliacus, fluxus hepaticus et diarrhoea cruenta.

§. 106.

Diarrhoea stercoracea vel crapulosa, vel ab ingluvie, generatur ex ingestis alimentis et potulentis, quantitate nimia et qualitate mala peccantibus, quod frequenter contingit jam in infantibus teneris, quibus lac nimis copiosum exhibetur, contingit in pueris et adultis, dum quantitas excessiva alimentorum ingeritur, atque tunc abdomen inflatur, borborygmi, dolores vagi, ructus,

vomituritio, Lingua spurea, capitis gravitas, et temulentia, alvus obstipa aegrum affligunt, donec subsequitur diarrhoea, saepe cum levamine, et in foecibus evacuatibus non raro adhuc distinguuntur ex colore et odore partes ingestorum.

§. 107.

Diarrhoea biliosa dicitur, dum liquidum evanescutum maxima pro parte est biliosum, jam flavum, jam viride, jam fusco-nigricans et non raro ita acre, ut in intestino recto sensum ardoris excitet, partes, quas continet, inflammet, superficialiter excoriet. Sub tali diarrhoea se manifestant plerumque symptomata policholiae, ut tensio, non raro dolor acutus, in regione hypochondriaca dextra usque ventriculum extensus, sapor oris amarus, lingua muco flavicante tecta, color flavus in conjunctiva oculorum, subinde etiam in cuti reliqua cum urina crocea. Evolvitur haec diarrheea biliosa in illis, qui temperamento bilioso, hypercinesia systematis cholopoetici praediti sunt, quae dispositio saepe est congenita, saepe acquisita per influxum caloris solis diurnum, ut in regionibus tropicis et apud nos mensibus aestivis observatur, subinde constitutio atmosphaerae peculiaris, vita sedentaria, potus spirituosi, animi affectus, in primis ira, provocant eandem dispositionem; qua praesente excitatur diarrhoea biliosa per refrigerium, aerem vel potum frigidum, glaciem saccharo conditam, per ingesta varia, non tantum tubum intestinali, sed et organa cholopoetica irritantia, per animi affectus, in primis iram, per evacuationes habituales suppressas, per morbos alias, ut febrim gastricam biliosam, inflammationes hepatis et aliorum viscerum abdominalium, per exanthemata ita, ut relate ad haec momenta natura iterum diarrhoeas biliosae individualis varia sit.

§. 108.

Diarrhoea serosa seu mucosa dicitur, dum liquidum e tubo intestinali evacuatum est tenui, sero si-

mile, vel spissius, ut mucus. Contingit haec evacuatio per secretionem mucosam membranae mucosae tubi intestinalis late extensae, estque similis coryzae narium, propterea vocatur a multis *catarrhus intestinalis* vel *diarrhoea catarrhosa*, a Swedia uer profluvium acutum vocatur *blennorrhagia intestinalis*, chronicum vero *blennorrhoea intestinalis*. Secretio morbosa subinde restricta est tantum ad partem unam tubi intestinalis, nempe ad intestinum rectum, non raro extenditur per totum tractum tubi intestinalis, evacuatique liquidum subinde paucarum tantum unciarum, saepe plurium librarum, et mucus non raro est viscidus, spissus, glutini similis, dicitur *gluten spontaneum*. Saepe diarrhoea haec serosa nexa est cum forminibus et doloribus, per tubum intestinalem et musculos abdominis excurrentibus, quia excitatur frequenter per refrigerium, functione cutis laesa, ideo vocatur ab auctoribus nonnullis *diarrhoea rheumatica* seu *rheumatismus intestinalis*, rectius tamen vocatur diarrhoea catarrhosa, quia natura ejus consistit in secretione muci jami tenuioris, jam spissioris; quae sustentatur per statum inflammatorium mitiorem membranae mucosae tubi intestinalis. Excitatur haec species diarrhoeas per acrem vel potum frigidum, saepe per refrigerium solum pedis vel capitis. Subinde excitatur haec diarrhoea per causas cacochymiam mucosam inducere valentes, ut otium nimium, vitam sedentariam, ingesta copiosa muco generando faventia, ut sunt farinacea, potus tepidi emollientes, lac copiosum; subinde provocatur diarrhoea talis serosa per pharmaca, in primis hydrargyrum, quod speciem ptyalismi intestinalis producit. Subinde inflammationes tubi intestinalis, vel aliorum viscerum abdominalium, in primis glandularum mesentericarum, ut in atrophia infantum, pro symptomato habent diarrhoeam serosam. Subinde per diarrhoeam evanuantur etiam vermes et tunc vocatur *diarrhoea verminosa*, quam comitantur symptomata helminthiasis.

§. 109.

Lienteria seu lenitas intestinalis, est illa species peculiaris diarrhoeae, in qua alimenta et potuenta quemadmodum ingesta fuere, nulla digestione facta, per alvum evacuantur. Causa proxima status hujus morbos est irritabilitas nimia ventriculi et tubi intestinalis cum debilitate nexa, occuritque tam in infantibus teneris, quam etiam in adultis subinde, post influxum causarum debilitantium, ut post evacuationes multas praegressas, diarrhoeam, dysenteriam, cholera. Non raro est morbus compositus ita, ut adsint tumores et infarctus glandularum mesaraicarum in atrophia infantum, subinde infarctus hepatis, lienis, pancreatis, subinde etiam ulcera in ventriculo ant tubo intestinali. Non raro praecedit bulimia, seu appetitus cibi nimius, post ingestionem experitur aeger inflationem ventriculi, dolorem abdominis et paulo post cibis immutatus per alvum evacuatur.

Siebenkees, Diss. de lienteria et fluxu coeliaco. Lugd. Batav. 1703.

R. A. Vogel, resp. Biel, Diss. de lienteria. Göttingae. 1721.

C. H. Fick, Diss. de lienteria. Jenae. 1794.

§. 110.

Fluxus coeliacus dicitur illa diarrhoea, sub qua in vicem foecum contingit evacuatio liquidi albo-opaci chyli, similis, eratque opinio, morbum hunc induci per indurationem et exulcerationem glandularum lymphaticarum mesaraicarum, quod per illos status morbosos resorbtio chyli impedita esset, ideo eundem evacuari per intestinum recentum. Sed investigationes anatomico-pathologicae docuerunt, nec indurationem, nec exulcerationem glandularum mesaraicarum locum habere, liquidum illud albo-opacum esse nucum puriformem, qui in parte aliqua tubi intestinalis, frequentissime in intestino recto, subinde tanien in intestino tenui per speciem inflammationis chronicæ secer-

nitur; estque quantitas liquidi evacuati paucarum drachmarum, non raro plurium unciarum, imo librarum. Aeger ante evacuationem saepe conqueritur de dolore in parte affecta, quae non raro intumescit et calet; evacuatione materiae puriformis per quamcumque causam impedita exoriuntur inquietudines majores et tormina, quae post evacuationem disparent; contingitque haec evacuatio subinde semel, sexies atque vigesies, spatio nycthemeri, in aliis frequentius interdiu, in aliis frequentius noctu.

R. A. Vogel, resp. J. J. Sothen, Diss. fluxus coeliaci genuina notio atque ratio exposita. Göttingae. 1768.

J. G. Uhthoff, Diss. de morbo coeliaco, ejusque genuina notione. Göttingae. 1787.

J. Beerflies, Diss. de morbo coeliaco. Halae. 1791.

Nicolai Diss. de fluxu coeliaco. Jenae. 1794.

§. 111.

Fluxus hepaticus seu hepatorrhoea, diarrhoea ichorosa seu saniosa, dicitur illa, sub qua liquidum evacuatum est loturae carnis simile, non raro cum sanguine diluto mixtus est ichor vel sanies. Species haec diarrhoeae jam ab Hippocrate descripta est, et constituit symptomata morbi nigri Hippocratis, repetebaturque origo ejus a hepate, cum in cadaveribus ex hoc morbo extinctorum status morbosus, imo exulceratio hepatis non raro detergeretur. Sed eadem disquisitiones anatomico-pathologicae docuerunt, sedem morbi minime semper ad hepar restringi, sed saepe locum habere in liene, vel pancreate, vel mesenterio, dum viscera nominata inflammatione corripiuntur, quae haud resoluta in suppurationem et exulcerationem transit, tunc ichor sanguine mixtus, jam per ductum choledochum, jam pancreaticum, jam per ulcus fistulosum morbose generatum in tubum intestinalem effunditur, atque inde dici potest jam fluxus splenicus, jam pancreaticus, jam mesentericus.

Subinde in visceribus nominatis nullum vitium organicum, nec in vivo aegro, nec in cadavere detegi potest,

sed sedes morbi in ipso tubo intestinali haeret, vasa nempe ejusdem varicose extensa conspiciuntur. Saepe et tubus intestinalis a vitio organico immunis est, fluxusque hepaticus producitur tantum per secretionem morbosam; ita observamus subinde, constituere symptoma febris intermittentis tempore paroxysmi, quod dein tempore apyrexiae silet.

Brendel, Diss. de fluxu hepatis. Vittebergae. 1715.

Andreas, Diss. cogitata quaedam de fluxu hepatico. Jenae. 1705.

Lutz, Diss. de hepatirrhoea. Göttingae. 1766.

§. 112.

Diarrhoea cruenta, in qua sanguis evacuatur, quin haec evacuatio effectus sit epistaxis vel stomatorrhagiae, vel pneumonorrhagiae, vel haematemesis, vel haemorrhoidum, cum morborum horum nulla plane symptoma conspicerentur; observatur subinde in neonatis summa periculosa, intra paucos dies enecans, cuius morbi rari natura adhuc obscura est; nec tamen omnis diarrhoea cruenta neonatorum ita periculosa est; observator eximius W. Schmidt describit hanc non raro inductam fuisse per suctionem sanguinis e papillis matris vel nutricis; subinde per solum lac vel cibum alium inducitur tubo intestinali irritatio major, et inter tornina, ejulatus et spasmos sanguis evacuatur per anum, et tamen feliciter sanantur infantes. Apud adultos subinde talis diarrhoea est symptoma periculosum febris putridae, vel scorbuti, vel apoplexiae.

§. 113.

Differentias hue usque enumeratas diarrhoearum ab inde liquidorum evacuatorum desumptas in singulo casu definimus, quia nos de natura morbi informant, ad quam exactius cognoscendam et determinatio causarum accedere debet. In omni diarrhoea adest duplex status abnormis; motus nempe peristalticus tubi intestinalis est magis acceleratus, quam in statu normali, propterea contingit evacuatio frequentior; sed simul secretio liquidorum in tube

intestinali quantitate et qualitate peccat ob irritationem majorem, propterea etiam excretio et quantitate et qualitate abnormis evadit. Dantur homines, qui ob statum peculiarem organico-dynamicum magis praedispositi sunt in diarrhoeam in genere, vel tantum in unam ejus speciem, ita qui majori debilitate ac irritabilitate, in primis tubi intestinalis praediti sunt, ut infantes, senes, e morbo gravi reconvalescentes, in primis post diarrhoeas, dysenterias, cholera, qui vitam sedentariam ducunt, alimenta et potulenta nimis copiosa ingerunt, pharmacis evacuantibus, solventibus, vel etiam stimulantibus abutuntur, diarrhoea facilis corripiuntur.

Causae autem excitantes diversae adnotatae sunt, frequentissimam constituunt ingesta, saepe quantitate excedentia, non raro qualitate sola noxia, ita in infantibus teneris lac nutricis mutantum, quod nutrix forte cibos minus congruos suniserit, animi affectu, forte ira, exagitata sit, vel quod fluxum catameniale habeat, vel quod coitum nimum concupiscat, aut admiserit, tunc lac nutricis mutatur, stimulum fortiorum constituit pro tubo alimentari tenero, ideo infantes evadunt inquieti, vomitu, torminibus et diarrhoea corripiuntur. Ita etiam alimenta jam valde dura, jam pinguia et rancida, fructus horni, ut melones, cerasa, persica, pruna, botri, subinde olera et radices dulces, mel, aqua nimia quantitate ingesta, in primis particulis salinis onusta, vel stagnans corrupta, liquida spirituosa non satis fermentata, ut mustum, cerevisia valde recens, non raro pharmaca emetica, purgantia, solventia, nonnunquam ipsa adstringentia, ut cortex cinchonae, diarrhoeam excitant; cujus non minus frequens causa excitans est refrigerium, saepe tantum partis unius corporis, ut pedum, capitis, vel abdominis, vel ventriculi per potum gelidum, in primis si corpus antea in sudore constitutum fuerat. Subinde excitatur hoc profluvium per terrorem; frequenter constituit symptoma aliorum morborum, ut febrium, variolarum, aphtharum, vernium intestinalium, phthisis; subinde provocatur et chronica redditur, dum alter

morbus disparet, ut rheumatismus, arthritis, prurigo, herpes etc.

§. 114.

Diarrhoea per momenta enumerata producta morbum constituit subinde acutum continuum continentem, saepius continuum remittentem, non raro intermittentem, temporibus jam certis, jam incertis recurrentem, qui aegrum affligit subinde tantum per paucos dies, non raro per plures septimanas, menses, imo annos, effectumque exerit diversum in organismum; non raro diarrhoea est critica, salutaris, dum saburra adest per alvum evacuanda, non raro etiam sine saburra observamus in febribus, inflammationibus, efflorescentiis cutaneis, cachexiis, neurosibus diversis, per alvi excretionem frequentiorem statum dynamicum organicum iterum normalem reddi. Sed multae diarrhoeae noxiae sunt, quia non tantum saburra organismi molesta, sed etiam liquida alia in nutritionem organismi necessaria evacuantur; ideo per diarrhoeam profusam et diu durantem inducit emaciatio corporis, debilitas, febris hectica, hydrops et mors. Ut in statu individuali prognosim cum probabilitate pronunciare valeamus, naturam individualem morbi relate ad momenta nosographica et nosogenetica considerare debemus. Diarrhoea excitata tantum per ingesta est in genere minime periculosa, ipsa evacuatione sanatur; sed si ingesta fuerint acria, forte venena, tunc diarrhoea est periculosissima, non raro letalis. Profluvium recens in genere est minus periculosum, quam neglectum, diu durans, habituale redditum. Diarrhoea characterem exhibens dynamicum mitiorem inflammatorium vel erethisticum est minus periculosa, saepe causis excitantibus remotis, per solam autocratiam naturae sanatur; quae sustentantur per inflammationem majorem vel per vitium organicum, ut per exulcerationem, est semper fatalis, ita diarrhoea excitata per phthisim pulmonalem, vel aliam, colliquativa, vires et carnes aegri consumens, est pessima. Non minus fatalis est prognosis, dum sub diarrhoea perdurante accedunt vomitas,

singultus, pulsus parvus, extremitatum frigus, quae statum gangraenosum tubi intestinalis indicant. Per therapiam tamen rationalem saepe saepius hoc profluvium feliciter sanatur.

§. 115.

Dum therapiam diarrhoeae instituimus, definimus ante omnia, sit-ne diarrhoea praesens critica, salutaris, qualem nunquam arte suppressimus, sed tantum coordinamus, ne evadat nimia, qualis inutilis, imo facile noxia curari debet, quem in finem conamur causas excitantes forte adhuc praesentes removere, ita si diarrhoea inducta fuerit per ingesta alimenta, potulenta, pharmaca vel venena acria aut narcoticaco-acria, tunc illa eliminare conanur; frequentissime corpora illa ipsa provocant diarrhoeam profusam ita, ut pharmaca alvum purgantia minime sint necessaria, sed potius noxia, tunc magis eo admittendum est, ut actio corporum aerium, venenatorum deglutitorum minus irritans reddatur, quod obtainemus per remedia obvolventia, attenuantia; decoctum hordei, althaeae, salep, infusum tepidum florum verbasci, tiliae, chamomillae, juscum gelatinosum sunt maxime indicata. Dum diarrhoea excitatur per deglutita purgantia drastica, tartarum emeticum dosi majori sumptum, per remedia acria, metallica vel vegetabilia vel animalia, tunc utilia sunt oleum pressum cum mucilagine gummi arabici, forma emulsionis, albumen ovi cum aqua calida et saccharo mixtum, lac dulce, excepto casu venenorū acidorum, tunc potius sapo aqua solutus vel alcali aqua dilutum exhiberi debent; in casu diarrhoeae ab alcali inducatae, magis proficia sunt acida, quae etiam contra diarrhoeam, a veneno vegetabili narcoticaco-acri indicantur, et remedia haec non tantum ori ingeruntur, sed etiam clysmatis ope ano injiciuntur.

Accidit subinde, ut diarrhoea provocetur et sustentetur per corpus peregrinum, longiori tempore in tubo alimentari haerens, quod per diarrhoeam non evacuatur, ideo intestina irritat, illud arte removere conamur; si haeret

in ventriculo, se manifestans per signa saburrae sursum versus turgescens, tunc ipecacuanha indicata est, nisi observatio docuerit, pro parte corpus peregrinum jam in tubum intestinalem delatum esse, tunc tartarus emeticus praestantior est. Saepe nulla adsunt signa saburrae in ventriculo haerentis et sursum versus turgescens, ideoque nulla indicatio pro emetico, sed adsunt signa saburrae in tubo intestinali haerentis, tunc indicata sunt in ipsa diarrhoea purgantia, et quidem in primis radix rhei chinensis, infantibus teneris granum semis, unum, duo, adultis grana quatuor usque scrupulum semis, vel adhibemus infusum rhei aquosum. Contra diarrhoeam biliosam ab auctoribus in primis commendatur pulpa tamarindorum, in cuius vice nos adhibemus pulpam prunorum cum creme tartari et saccharo, vel in pulvere magnesiam muriae cum creme tartari et saccharo, vel arcanum duplicatum, vel salem amarum, vel salem mirabilem Glauberi in decocto radicis graminis aut radicis taraxaci. Subinde sustentatur diarrhoea apud infantes, adultos hypercinesia hysterica vel hypochondriaca affectos per saburram acidam, partim ex ingestis, lacte, potibus spirituosis, partim secretione morbosa generatam, et tunc indicata sunt absorbentia, ut lapides cancrorum, carbonas lixivae, sodae, magnesiae, magnesia usta. In casu diarrhoeae per vermes intestinales sustentatae, praeter anthelmintica specifica indicata est medicina saburram evacuans, calomela, saepe cum jalappa juneta.

Subinde diarrhoea symptoma tantum constituit aliorum morborum, febrium diversarum, inflammationum, exanthematum, et tunc a natura morbi protopathici desumimus indicationem; ita non raro diarrhoeae diversae, etiam fluxus hepaticus symptoma constituunt febris intermittentis, tunc cortex cinchonae cum opio, tempore apyrexiae maxime proficia medicina est. Subinde provocatur diarrhoea per morbum, ut arthritidem, exanthema e partibus externis evanidum, tunc praeter therapiam reliquam irritatio cutis necessaria est. Si diarrhoea excitata fuerit per animi af-

fectum, moerorem, tristitiam, tunc quies et animi exhilaratio plurimum prosunt.

§. 116.

Saepe causa excitans diarrhoeae jam remota est, profluvio tamen perdurante; tunc statum dynamico-organicum abnormem sese manifestantem in toto organismo, in primis autem in tubo intestinali, per quem diarrhoea sustentatur, in statum normalem reducere nitimur. Character talis dynamicus est non raro inflammatorius et quidem intensior, tunc methodus anti-phlogistica strictior est indica-ta, sanguinis evacuatio universalis, saepius topica, hirudinum ope, quas applicamus vel prope ad anum, vel aliis partibus abdominis, prope ad sedem inflammationis; interne exhibemus emollientia blandissima: decoctum hordei, avenae, althaeae, sago, farinae marantae (*arrow-root*). Gradu inflammationis mitiori praesente in diarrhoea catarrhosa et rheumatica, qualis status frequentior est in infantibus, in primis sub periodo dentitionis, sine sanguinis evacuatione remedia emollientia sola sufficiunt: amyrum, gummi arabicum, quibus praesente simul saburra acida jungimus pulverem lapidum cancrorum; simul commendamus cataplasma emollientia et clysmata similia ex decocto furfurum, vel seminum hordei decorticatum, vel radicis althaeae, quibus addimus subinde vitellum ovi, et non raro clysmata talia parva, bis per diem aegro exhibita, profluviu[m] molestum removent. Perdurat autem similis character mitior inflammatorius diarrhoeae saepe per plures etiam septimanas, et tunc nulla remedia adstringentia, vel roborantia, quomodounque contra diarrhoeam laudata adhiberi debent, nam irritationem augendo, diarrhoeam pertinaciorem reddunt; sola emollientia, decoctum radicis salep vel panis biscocti, diu adhibitum, morbum sanant.

Saepe inflammationis signa nulla jam detegi possunt, et tamen diarrhoea perdurat, subinde increscit, ob irritabilitatem tubi intestinalis morbose exaltatam; tunc indica-

ta est ipecacuanha dosi refracta, infantibus granum semis, unum, adultis grana duo, tria cum saccharo in duodecim partes distribuimus, et omni bihorio unum pulverem porrigitus. Effectu desiderato haud obtento, recurrimus ad medicinam efficacissimam, opium scilicet vel solum, vel ipecacuanha junctum, exhibemusque infantibus pro nycthemero guttam unam tincturae opii simplicis, adultis granum semis, unum, raro dosi majori praescribimus. Subinde ventriculo ingestum remedium virtutem exerit minorem, tunc adhibemus in clysmate, decocti emollientis unciae uni, duabus admiscemus tincturae opii simplicis guttam unam, adultis guttas tres usque septem; saepius adhuc cuti inungimus, unguenti althaeae unciae uni admiscemus tincturam opii simplicis scrupulum unum usque drachmam unam. Subinde praescribimus emplastri aromatici, electuarii anodyni ana unciam semis, unam, balsami peruviani, tincturam opii simplicis ana drachmam semis, unam, idque linteo vel corio molli illinitum tepide abdomini imponimus.

Subinde praeter statum erethisticum subversatur etiam gradus debilitatis jam major, jam minor, et tunc simul remedia stimulantia necessaria sunt, ut infusum florum chamomillae vulgaris, foliorum aurantiorum, herbae melissae, menthae crispa, menthae piperitae, quibus addimus tincturam corticum aurantiorum, liquorem anodynum mineralem, frequentius tincturam opii; gradu debilitatis majori praesente, in diarrhoeis profusis, mucosis, pharmaceutum eximum possidemus in radicibus ac floribus arnicae.

§. 117.

Non raro diarrhoea chronica perdurat ob peculiarem laxitatem tubi intestinalis, atque tunc commendantur ab observatoribus adstringentia, ut decoctum radicis tormentillae, bistortae, lysimachiae purpureae, corticum querqus, simarubae, radicis colombo, radicis ratanhiae, terra catechu, gummi kino, alum, argilla pura; remedia aromatico-tonica, ut cortex cascarillae, cassiae ligneae, cin-

nannomi, nux moschata, cortex adstringens Brasiliensis, cortex cornus circinatae; subinde balsamica, ut balsamum peruvianum, balsamum Carpathicum seu Hungaricum, faba pichurim, piper cubeba. Commendatum fuit etiam saccharum saturni, quod tamen nunquam, nisi in diarrhoea colliquativa, ceteris incassum adhibitis, sub inspectione medici exhiberi potest in connubio cum opio. Subinde praeparata ferri, in primis murias et sulfas ferri, scopo satisferunt. Remedia haec adstringentia, aromatica, stimulantia cautissime debent in diarrhoea adhiberi, quo usque character inflammatiorius vel mitior locum habet, noxia sunt, nonnisi charactere inflammatorio ex integro deleta cum circumspectione adhiberi debent, et quidem ex enumeratis maxime proficia sunt arnica, alumen, subinde radix colombo et cortex cascarillae, his saepe praestantius est vim rubrum antiquum, uti est Budense.

Saepe externa etiam remedia in usum vocamus, fomenta ex herbis aromaticis, adstringentibus aqua vel vino maceratis, attentione semper omni adhibita, ne refrigerio occasio praebeatur ideo in plurimis casibus fomenta calida sicca praeferenda sunt, his haud sufficientibus, abdomini imponimus jam sinapisimum, jam emplastrum cantharidum; in gradu debilitatis magno balnea roborantia ex solutione aluminis, herbis et corticibus adstringentibus, ex infusis herbarum aromaticarum, vino quoque admixto, contra diarrhoeam chronicam proficia sunt.

Morbo superato in diarrhoea acuta nulla cura post humana necessaria est; sed in diarrhoea chronica ad recidivam impediendam, praeter evitatem causarum nocentium individualium, cura subinde antiphlogistica, saepius roborans continuari debet; atque tunc saepe praeparata martis, lichen islandicus, cortex cinchonae, cortex cascarillae, radix colombo, in primis autem vitae regimen roborans indicata sunt.

K. T. Merrem, über den Cortex adstringens Brasiliensis. Cöln.
1823.

Frotiep's, Notizen für Natur und Heilkunde. 1829. Nro 502.

D Y S E N T E R I A.

§. 118.

Dysenteria est illud profluvium tubi intestinalis, frequentissime febre diversi characteris junctum, sub quo comparent in abdomine tormina, dolores scindentes, dein tenesmus seu nitus dolorificus frequens, saepe inanis alvum evacuandi, saepe contingit evacuatio non tamen foecum, sed liquidorum morbose secretorum, ut plurimum albo-opacorum, puriformium, plus minusve sanguine mixtorum. Morbus hic est frequenter sporadicus, frequentius adhuc epidemicus, maxime infamis in India utraque et Africa omni anno multa millia hominum enecans, sed etiam in Europa et in specie in Hungaria omni anno epidemice saeviens, et plures centenos trucidans, qui funestus morbi exitus frequentius contingit ob curam neglectam aut perversam. Ideo studium naturae morbi est summe necessarium. Jam Hippocrates quaedam observata de hoc morbo retulit, Aretaeus eum vividis coloribus descripsit, rectius tamen post conatus ingeniosos Sydenhami natura morbi a pluribus observatoribus illustrata fuit seculo XVIII et incipiente seculo XIX.

J. H. Degner, Historia medica de dysenteria bilioso-contagiosa, quae anno 1730 Neomagi et in vicinis ei pagis epidemice gravata fuit. Trajecti ad Rhenum. 1754.

Rahn, Anleitung zur richtigen Erkenntniss und vernünftiger Heilung der Ruhr. Zürich. 1700.

J. G. Zimmermann, von der Ruhr unter dem Volke im Jahre 1705. Zürich. 1707.

J. C. G. Ackermann, de dysenteriae antiquitatibus. Lipsiae. 1777.

- M. Stoll, de natura et indeole dysenteriae commentatio. Rationis medendi P. III. p. 4.)
- B. Moseley, Observations on the dysentery of the West-Indies. London. 1781.
- J. Rollo, Observations on the acute dysentery. London. 1786.
- Neue Bemerkungen über die mit Fieber verbundene Ruhr. Leipzig. 1787.
- Birnstiel, de dysenteria, Manheimi. 1786.
- G. L. Mursinna, Beobachtungen über die Ruhr und die Faulfieber. Berlin. 1787.
- Barbou, Diss. de dysenteria contagiosa, praecipue in Indiis orientalibus observata. Lugd. Batav. 1788.
- G. H. Jawandts, Beobachtung einer Ruhr-Epidemie im Meiningischen, im Monathe September und Oktober 1791. Riga. 1794.
- T. Pauli, Geschichte der Ruhr-Epidemie zu Mainz 1793. Erfurt. 1795.
- F. W. C. Hunnius, Abhandlung über die Ursachen und Heilung der Ruhr, und ihre Complicationen. Jena. 1797.
- K. C. Matthaei, über die epidemische Ruhr. Hannover. 1797.
- J. P. Vogler, von der Ruhr und ihrer Heilart. Giessen. 1797.
- Rademacher, Libellus de dysenteria. Coloniae. 1806.
- E. Horn, Versuch über die Natur und Heilung der Ruhr. Erfurt. 1806.
- F. Speyer, Versuch über die Natur und Behandlungsart der Ruhr. Nürnberg. 1809.
- P. E. Wauters, Commentarius theoretico-practicus de dysenteria. Gandaviae. 1810.
- G. Wedekind, über die Ruhr, herausg. von Dannenberg. Frankf. a. M. 1811.
- M. Vignes, Traité complet de la dysentéris et de la diarrhée. Paris. 1825.

§. 119.

A morbis aliis analogis, ut diarrhoea et haemorrhoidibus, per symptomata pathognomonica distingui potest dysenteria, ut tamen natura ejus cognosci possit, attentionem nostram dirigere debemus ad omnia symptomata,

quae successivo evolvuntur sub decursu morbi, in quo distingui possunt stadia plura:

In dysenteria epidemica frequentissime, saepe etiam in sporadica, primum stadium morbi constituunt prodroma; febris mitior cum horripilatione, frigore, calore, appetitus cibi prostratus, nausea, vomitatio, subinde etiam vomitus, dolores vagi, transitorii, jam mitiores, jam intensiores in ambitu abdominis, alvus subinde frequentior, diarrhoica, saepe obstipa, cephalaea vel saltem capitis gravitas, artuum dedolatio, cutis sensibilitas major erga temperaturam externam. Haec symptomata prodromia per duos, tres, subinde quatuordecim dies excurrentia, annunciant tubi alimentaris recessum a statu normali, quin tamen praedicere valeamus dysenteriam futuram, nisi epidemia regnante per observationem cognovissemus, symptomatibus praegressis subsequi evolutionem morbi. Non raro in dysenteria sporadica prodroma vix observantur, vel tantum brevissimo tempore durant, et in homine apparente sano comparet.

Stadium secundum morbi, nempe evolutione dysenteriae, cuius characteres sunt: dolor scindens in regione umbilicali, subinde supra ac infra umbilicuni, imo per totum abdomen, in primis regionem sacralem extenditar, continuo quidem adest, nec tamen eadem vehementia, saepe remittit, mox iterum reddit, ita intensus, ut aeger ejulet et corpus antrorum torqueat; cum hoc dolore scindente connexus est tenesmus dolorificus, nisus frequentissimus alvum deporendi, quo nisu non raro intestinum rectum protruditur, sub doloribus auctis, et nisi repositio fiat, subinde incarceratur; saepe tenesmus est inanis, ut nulla contingat evacuatio, et dum contingit, evanescit liquidum morbose secretum, subinde mucus tenuis serosus, dicitur dysenteria serosa, subinde mucus spissior, dicitur dysenteria mucosa, subinde simul vermes evacuantur, dicitur dysenteria verminosa, subinde evacuatur bilis varii caloris, dicitur dysenteria biliosa. In casibus tamen longe plurimis liquidum evacua-

tum est albo-opacum, puriforme, odore peculiari praeeditum, vocatur dysenteria alba. Non raro variis his liquidis immixta est sanguis, jam puncta, jam strias referens, subinde sanguis purus evacuatur, dicitur dysenteria rubra. Raro sanguis purus liquidus est, saepius coagulatus, subinde est peculiariter corruptus, foetidus, saepe fibrina conspicitur separata in grumos albos, membranulas, concrementa polyposa, cylindros parvos, subinde tubulos perforatos, intestinum referentes. Rarius sub morbi incremento evacuantur excrementa dura, obducta materia puriformi, muco et sanguine. Quantitas liquidi evanescit variat, subinde panceas drachmas, saepe libras plures efficit, contingitque evacuatio talis, spatio unius horae, plus quam decim, et spatio nycthemeri plus quam centum vicibus. Praeter symptomata statum peculiariter morbosum tubi intestinalis indicantia observantur alia consensualia, ut dysuria, ischuria, cephalaea, vomitus etc. excurritque hoc stadium per dies 7—14, sequitur

Stadium de c r e m e n t i , sub quo symptomata febris et dysenteriae imminuntur, dolores et tenesmus evadunt mitiores, recurrent rarius, liquidum in tubo intestinali morbosum minori quantitate secernitur, observatur excretio aliqua foecum normalium, appetitus cibi se insinuat; excurrit hoc stadium per 7—14 dies, evanidisque omnibus symptomatibus morbi, stadium reconvalescentiae locum habet.

§. 120.

Praeter symptomata cnumerata, non raro etiam alia observantur, cum dysenteria non est semper simplex, sed non raro complicatur cum phlogosi topica partis alicujus, cum exanthemate vel aliis morbis. In morbo tam simplici, quam complicato relate ad symptomata differentia maxima inducitur per characterem dynamicum febris, quae jam mitior, jam intensor dysenteriae ita juncta est, ut non pauei nosologi sub nomine febris dysentericae ad classem febrium refulerint, et Sydenham declaraverit, dysenteriam nil aliud esse, quam febrim in tubum intestinalem

conversam. Febris haec variat charactere, intensitate et forma, frequentissime habet characterem mitiorem inflammatorum, raro simplicem, saepè simul aeger divexatur doloribus lacerantibus extremitatum, ita ut morbus habeat formam febris rheumaticae, ideo M. Stoll docuit, dysenteriam nil aliud esse, quam rheumatismum intestinorum; sed in aliis epidemiis dolores lacerantes extremitatum desiderantur, observantur symptomata subinflammatoria in membrana mucosa, ideo Galli declarant, dysenteriam nil aliud esse, quam catarrhum tubi intestinalis, similem coryzae narium; in aliis epidemiis nec rheumatismus, nec catarrhus comparent, sed observantur symptomata poly- et cacocholiae, et tunc defendunt, dysenteriam esse biliosam. Per observationes has convincimur, diversam formam dysenteriae dependere partim a constitutione individuali aegri, partim a constitutione epidemica regnante. Non raro febris dysenteriam concomitans, qualicunque forma incedat, est intensior inflammatoria, et tunc vocatur etiam **dysenteria inflammatoria**, quam indicant febris valida, calor siccus et continuus, cum turgore et rubore faciei, conjunctiva oculorum rubicanda, cephalaea intensa, siti magna, doloribus abdominis scindentibus raro remittentibus, tenesmo valde dolorifico, urina parca flammaea, pulsu frquenti, parvo, contracto, duro, non raro inaequali. Talis dysenteria inflammatoria invadit in primis viros et juvenes robustos, diathesi inflammatoria praeditos, sed dum epidemice regnat, sub circumstantiis faventibus eodem charactere instructus morbus evolvitur in infantibus, mulieribus et senibus decrepitis. Longe plurimae dysenteriae sub exordio characterem inflammatorum exhibent, eumque usque finem morbi retinent, nec tamen semper, nam in casibus non paucis character febris dysentericae evadit nervosus vel nervoso-septicus, et tunc vocatur **dysenteria nervosa vel putrida**, quam cognoscimus ex prostratione virium magna, turgore vitali collapso, pulsu arteriarum parvo, molli, irregulari, lingua arida, saepè fusca, inquietudine magna, deliriis, meteo-

rismo, sudore profusa nil allevante, sub quo comparent miliaria, petechiae, decubitus gangraenescentes. Auctor scholae medicae physiologicae Gallicae negat existentiam dysenteriarum talium malignarum, eas tantum arte excitari, dum per pharmaca stimulantia, adstringentia enteritis exaltatur, gangraena et per consensum inflammatio meningum inducitur. Errores tales saepe commissos fuisse, et hodie committi negari haud potest, observationes tamen repetitae probant, febres dysentericas sine omni errore in therapia commisso characterem jam nervosum, jam septicum habere.

§. 121.

De causa proxima dysenteriae opiniones diversae de-
promptae fuere; aliqui defendebant, exulcerationem tubi in-
testinalis locum habere, partim quod materia puriformis,
subinde ichori similis, per alvum excernatur, partim quod
subinde ulcera intestinalia in cadavere detecta fuerint; at-
qui secretionem talem materiae puriformis etiam in aliis
partibus, in coryza, blennorrhoea urethrali et vaginali
conspicimus; contingit sine omni exulceratione, quae etiam
per disquisitionem anatomico-pathologicam saepe haud re-
peritur. Alii causam proximam morborum omnium repe-
tentis a statu abnormi fluidorum docuere, dysenteriam con-
sistere in degeneratione peculiari liquidorum entericorum,
in primis bilis; negari haud potest, in hoc morbo liquidorum
tam in tubo intestinali, quam in vicinis organis se-
cretionem et relate ad quantitatem, et relate ad qualita-
tem abnormem esse, quod tamen potius effectus, quam cau-
sa dysenteriae dici potest. Combinatio symptomatum omni-
um nos convincit, causam proximam dysenteriae esse in-
flammationem, quod etiam investigatio cadaverum plurimo-
rum comprobat; detegitur enim semper signum inflammati-
onis, et quidem saepe tantum superficialis, erysipelaceae;
non raro profundius penetrantis, phlegmonosae, frequentissime
inflammatio haec restricta est ad intestinum rectum,
unde tenesmus dolorificus, impedita evacuatio foecum; ex-

cretio liquidi morbose secreti; subinde tamen inflammatio extenditur ad partem reliquam intestini crassi, in casibus rarissimis etiam tenue inflammatum est.

Omnis homines hoc morbo corripi possunt, aliqui tamen dispositionem habent majorem, jam congenitam, jam acquisitam per causas tubi intestinalis diathesim inflammatoriam provocare valentes. Causae autem excitantes sunt multiplices: subinde et sporadicae et epidemicae dysenteriae excitantur per fructus horreum immatuos, vel corruptos, vel oculis insectorum inquinatos, et magna quantitate ingestos, ita non raro per melones, zeam mays morbus provocatur; alia acria ingesta subinde excitant hoc profluviis sporadice, frequentius tamen illud provocatur per refrigerium, quod solum dysenterias etiam epidemicas, ut rheumatismos vel catarrhos tubi intestinalis induceret; in ipsis regionibus tropicis et apud nos sub fine aestatis dysenteria frequentior producitur per calorem excessivum, cuius influxu functione cutis exaltata dispositio tantum major evolvitur, et admisso refrigerio sive per aërem, sive per potum gelidum functio cutis impeditur, antagonistice inducitur irritatio in tubo intestinali et hepate, et sic evolvitur dysenteria.

Subinde morbus sporadicus excitatur per evacuationes alias habituales suppressas, ut catameniorum, haemorrhoidum retentionem, per morbos alios e cuti evanidos; subinde est symptoma aliorum morborum, ut aphtharum, variolarum, in ipso tubo intestinali residentium.

Dysenteria epidemica, semper cum febri juncta et stadia morbi certo temporis spatio circumscripta observans causam agnoscit frequentissimam in constitutione peculiariter mutata atmosphaerae; ideo talis dysenteria epidemica nec ubique locorum, nec omni anno observatur. In insulis subtropicis sitis, in India utraque, in Africæ parte maxima, in primis ad littora aër, magis vegetationi plantarum, quam vitae hominum idoneus, per exhalationes paludum peculiaris subit corruptelam, quae provocat in plurimis incolis diathesim, hacque exaltata ipsam dysenteriam en-

demicam. Sub zona temperata, in specie in Hungaria sub fine aestatis, mensibus Augusti ac Septembris, in locis exundationibus fluviorum expositis, a paludibus residuis aër peculiariter corrumpitur, generatque febres gastrico-bilio-sas, saepe febres intermittentes, et non raro dysenterias epidemicas. Dum homines multi ad loca angusta coacervati sunt, in urbibus obsessis, castris, carceribus et navibus, aër corrumpitur, et saepe non generatur typhus contagiosus, sed dysenteria, quemadmodum hoc tempore bellorum infelicium saepe observatum fuit. Morbus per miasma dysentericum generatus saepe ultiro propagatur per contagium, quod continetur in exhalatione aegrorum et foecum eorumdem. Non quidem omnis dysenteria contagiosa est; testante observatore magno Stoll in nosocomio Viennensi inter plures centenos aegros, dysenteria affectos, in eodem cubili decunibebant etiam alii aegri, quin vel casus unicus contigisset morbi per contagium propagati; dum tamen dysenteria juncta est febri asthenicae cum charactere nervoso septico, tunc contagiosam ejus indolem observationes plures evincunt.

§. 122.

Dysenteria evoluta relate ad typum est continua remittens, subinde intermittens, dum nempe symptoma febris intermittentis constituit; exitus autem nanciscitur variis, non raro morbus mitior per autoeratiam solam naturae in sanitatem deducitur, dum sub decremento symptomatum evacuationes criticæ contingunt per haemorrhagiam intestinalem, epistaxim, frequentius per sudorem universalem, subinde per urinam sedimento albo, puriformi instructam, per erysipelas aut furunculos in cuti erumpentes. Nec tamen omnis dysenteria ita mitis est, saepe constituit morbum periculosissimum, in Indiis et Africæ littoribus omni anno multa millia, in Hungaria plures centenos homines enecantem; dum morbus exitum talem funestum nanciscitur, tunc symptomata et topica, et universalia celeriter increscunt, dolores scindentes in abdome, tenesmus

dolorificus redduntur intolerabiles, foeces plane nullae, sed materia puriformis, sanguinolenta, copiosa et foetida evacuatur, abdomen meteoretice intumescit, cutis sicca callet, cavum oris est aridum, lingua tegitur muco spiso, glutinoso, fusco, nigrante, simili illinuntur etiam dentes, facies concidit, sensus obfuscantur, miliaria et petechiae in cuti conspiciuntur, aeger delirat, extrema frigent, convellitur et extinguitur. Dum in morbo gravi mortem effugit aeger, reconvalescentiam habet semper longam, debilitas remanet chronica, subinde dysenteria evadit diuturna, per plures menses excurrens, subinde silentibus symptomatibus dysenteriae comparet diarrhoea chronica, lienteria, fluxus hepaticus vel fluxus coeliacus, subinde efformantur in intestino recto tumores haemorrhoidales, vel per fibrinam morbose secretam contingit induratio, coartatio, concretio intestini recti, subinde remanent ulcera, quae nisi consanata fuerint, provocant tabem, hydropem, febrim hecticam, mortem. In cadaveribus reperiuntur signa manifesta inflammationis praegressae, in primis in intestino recto, subinde tamen latius extensae, saepius hic membranae intestini crassi, in pluribus locis tumidiores, purpureae, pure obtectae, sphacelosae, nigrae repertae sunt.

Ut in casu individuali prognosim probabilem pronunciare valeamus, attendimus ad momenta cuncta, et nosographicia, et nosogenetica, naturam morbi individualem indicantia, ita dysenteria in infante tenero, vel sene decrepito vel in subjecto cachectico per quascunque causas enervato, in grava vel puerpera, est ceteris paribus periculosior; dysenteria sporadica, excitata per ingesta haud venenata, est ceteris paribus minus periculosa; morbus characterem habens mitiorem inflammatorium, vel symptoma constitutens febris intermittentis, est minus periculosus, quae characterem praesefert inflammatorium intensiorem, periculis magnis stipatur, quae maxima evadunt in dysenteria maligna, charactere nervoso septico praedita; per therapiam tamen rationalem aegri multi feliciter sanantur.

§. 123.

Remedia anti-dysenterica specifica, licet omni tempore laudata, nulla dantur contra omnem dysenteriam proficia; quae sub una epidemia proficia fuere, alio tempore nocuerunt, natura enim dysenteriae, momentis et nosographicis et nosogeneticis docentibus varia est, ideo in singulo casu cura morbi individualis esse debet.

Indicationem primam desumimus a causis excitantibus, per examen aegri detectis, ita si morbus productus fuit per saburram ex ingestis generatam, tunc evacuatio ejus indicata est, et non raro per emeticum statim ad exordium morbi exhibitum, pro circumstantiis, jam tartarus eneticus, jam ipecacuanha evolutionem morbi ulteriore ex integro impedit, vel saltem morbum mitigat. In casibus rarioribus proficia sunt etiam purgantia blandiora, ut pulpa tamarindorum, oleum ricini, in nonnullis casibus etiam drastica, ut jalappa, sed semper cum magna circumspectione, ne inflammationem latentem exalteamus. Si forte dysenteria inducta fuit per morbum qualemque e cuti evanidum, tunc irritatio cutis in primis necessaria est; ubi vero dysenteria intermittens symptoma febris intermittentis constituerit, cortex cinchonae opio junctus medicina efficacissima erit.

Per quamcunque causam excitata fuerit dysenteria, semper attentio maxima convertenda est in statum dynamicum organicum totius organismi, in primis autem tubi intestinalis, cum in omni casu locum habet status inflammatoryus in membrana mucosa intestini crassi, in primis recti, ideo removeri debent causae cunctae statum memoratum exaltare valentes, uti sunt refrigerium, per cuius influxum non raro morbus generatur, ideo aeger dysenteria affectus debet calore moderato foveri, in lecto calido conservari, invigilandumque ei est, ne sub evacuatione alvi refrigerium admittat, forte nudipes ad magnam distantiam exeat, vel potum gelidum hauriat; ita etiam aer impurus

exhalationibus diversis inquinatus morbum auget, propterea cura munditiae debet esse summa, et circa vestitum, et in primis circa aërem, excrementa foetida statim e cubili removeantur, receptacula aqua et aceto eluantur, ventilatio saepius per diem instituatur, et ea haud sufficiente fumigatio vapore acetii, vel acidi nitrici, vel salis, vel chlorii instituatur. Praeter haec metus, terror, animi despicio, in primis in dysenteria epidemica in castris morbum augere valens arceri debet et cuncta coordinari, quae animum prostratum erigere valent.

§. 124.

Ilis coordinatis indicationem curae desumimus ab intensitate et complicatione status inflammatorii tubi intestinalis. Saepe gradus inflammationis est valde mitis, ita ut nec dolores scindentes, nec tenesmus, nec febris aegrum multum molestent, nec evacuationes sint excessivae, tunc sub exordio morbi, signis saburrae sursum versus turgentis praesentibus, exhibemus emeticum, indicatione hac haud existente, commendamus statim decocta emollientia, hordei, oryzae, malvae, althaeae, salep, externe imponimus abdomini calorem siccum, vel cum cautela necessaria cataplasmata emollientia, cibum concedimus blandissimum emollientem et quantitate exigua, spirituosa omnia ut maxime noxia dissuademus. Charactere inflammationis mitigato utilia sunt diaphoretica blandiora, ut infusum florum sambuci, tiliae, roob sambuci, spiritus Mindereri, attentione semper adhibita, ne stimulo suo licet blandiori nocēant, nam frequenter tam dysenteria sporadica, quam epidemica, characterem dynamicum habet eminenter inflammatorium, atque tunc et methodus antigastrica evacuans, et diaphoretica, adhuc magis stimulans, adstringens et narcotica noxia, non raro letalis est. Methodus anti-phlogistica strictior plurimis salutaris est, atque tunc praeter vitae regimen anti-phlogisticum sanguinis evaeuatio, non raro universalis, saepius topica hirudinum ope, necessaria est; infantibus, pueris hirudines quatuor usque decem,

adultis duodecim usque triginta sufficiunt, quae circa marginem ani applicatae et tenesimum dolorificum, et tormina in abdomine remoyent; subinde tamen tenesmo imminentio dolores scidentes in abdomine perdurant, tunc hirudines vel cureurbitulas cruentas ipsi abdomini applicamus. Simul exhibemus decocta emollientia, regioni sacrali, perinaceae imponimus fomenta, cataplasmata emollientia, semper attendendo, ne refrigerium hoc in casu valde noxiū admittatur.

§. 125.

Non raro quidem dysenteria ab exordio usq[ue] finem characterem inflammatorium energicum retinet, sola methodo antiphlogistica intensitati morbi adaequata sanandum: sed saepe character ille energeticus inflammatorius tantum sub exordio morbi observatur, dein ob constitutionem aegri individualem, ob genium epidemiae regnantis, ob influxus debilitantes evolvitur character asthenicus jam nervosus, jam septicus, et tunc sub methodo antiphlogistica continuata succumbunt aegri, per therapiam aliam individualiti accomodam sanantur. Saepe status dynamicus abnormis tubi intestinalis se manifestans per sensibilitatem et irritabilitatem exaltatam, per dolores, spasmos, foecum retentionem et secretionem morbosam sustentatur, per statum abnormem nervorum vitae organicae, in quo casu maxime proficia remedia sunt narcotica et antispasmodica. Saepe utiliter exhibetur radix ipecacuanhae, dosi parva in pulvere vel infuso; Hufeland maxime laudat extractum nucis vomicae aquosum, ut scrupulus semis solvatur in aquae destillatae sambuci unciis sex, addatur spiritus Mindereri, roob sambuci ana uncia semis, omni bihorio duabus cochlearibus; pharmacum hoc in una epidemia proficuum, in alia efficacia omni destituebatur. Richter docet, sibi magis profuisse extractum hyoscyami; sed maximum laudem observatorum sibi meruit opium, quod inflammatione adhuc perdurante, vel saburra praesente contraindicatum, noxiū est; contraindicatione ea remota est

princeps remedium, quod exhibemus vel solum in emulsione oleoso-gummosa, vel in decocto emolliente, vel in pulvere aut pilulis, et quidem frequenter in connubio cum ipecacuanha, subinde cum calomela. Testantibus medicis Anglis in Indiis et in Africa ex dysenteria epidemica gravissima plurimi aegri sanantur opio cum calomela, post praemissam sanguinis evacuationem exhibita, quae medicina et hic salutaris fait. Simil commendantur clysmata emollientia cum opio, rarissime proficua, nam ipsa applicatio tubuli in intestinum rectum jam irritationem majorem producit, ideo sub cautela justa potius applicamus abdomini, regioni sacrali et perinaee cataplasmata emollientia, quibus subinde addimus herbam hyoscyami, cicutae, capita papaveris albi, subinde herbam nicotianae tabaci; metu refrigerii admittendi praesente potius commendamus unguentum althaeae, cui addimus unguentum vel extractum hyoscyami, cicutae et tincturam opii. Sic saepe per remedia paucissima dysenteriam etiam gravem feliciter sanamus, subinde tamen ob constitutionem aegri individualem, vel ob genium epidemiae regnantis, ob circumstantias aegri minus faventes evolvuntur symptomata febris asthenicae cum charactera nervoso vel septico, atque tunc saepe radix et flores aromaticae a Collin et Stoll laudatae eximiam exerunt virtutem, nec tamen specificam; subinde plus praestant radix angelicae, valeriana sylvestris, camphora, liquores aetherrei, moschus, sub charactere febris septico alum, acida mineralia, cortex cinchonae, cinnamomi, cassiae lignae, nux moschata, in primis autem vinum bonum, antiquum, rubrum; Hungaricum, quod sub statu vere asthenico in dysenteria virtutem aliorum pharmacorum superat. In hac specie dysenteriae etiam externa remedia stimulantia indicata sunt, ut fomenta aromatica, aquosa, vel vinosa, subinde sinapis, emplastrum cantharidum, ut rubefaciens abdomini impositum.

§. 126.

Subinde post dysenteriam remanet diarrhoea, quae per debilitatem et laxitatem tubi intestinalis sustentatur, ideo

laudantur ab observatoribus diversa adstringentia, tonica, ut alumnen, cortex quercus, lythrum salicaria, symphytum, consolida, cortex simarubae, cascarillae, radix colombo, ratanhiae, cortex cinchonae, plurimum praestant diaeta blande nutriens, vinum bonum dosi moderata sumptum et aër purus siccus; subinde vincimus hanc debilitatem chronicam per usum lichenis islandici, martialis, balsamica, acidulas Selteranas cum lacte asinino.

C H O L E R A.

§. 127.

Cholera seu Cholerrhagia, vocatur ille status morbosus, sub quo aeger eodem tempore vomitu effreni, et diarrhoea nimia corripitur, atque per evacuationes has profusas cito contingentes in summum vitae periculum conjicitur, ut non raro intra paucas horas extinguitur, ideo additur cholerae epithetum *morbūs*, qui jam ab Hippocrate, Celso et Aretaeo descriptus, omni tempore et ubique locorum observatus, recentioribus temporibus accuratius investigatus est.

Adolphi, Diss. de passione cholerica. Lipsiae. 1716.

Vater, Diss. de atrocissima et acutissima cholera passione, rite judicanda et curanda. Vittebergae. 1720.

Stahl, Diss. de cholera morbo. Erfurti. 1733.

Brendel, Diss. de cholera humida. Göttingae. 1748.

B. L. Tralles, Historia cholerae atrocissimae, quam sustinuit ipse, persanavit aegerrime, utque in usus publicos, adjectis animadversionibus theoretico-practicis quam accuratissime descriptis. Vratislaviae. 1753.

W. Currie, Treatise on the cholera. Philadelphia. 1790.

Wilson, Diss. de cholera. Edinburgi. 1794.

Vetter, Diss. de cholera. Francfurti. 1797.

Wedel, Diss. de cholera. Jenae. 1797.

J. S. Sengenasse, Diss. sur le choléra-morbus. Paris. 1803.

J. J. Bory, Diss. medico-practica, de cholera morbo. Parisii, 1808.

§. 128.

Symptomata morbi variant pro diversitate momentorum, per quae excitatur; non raro cholera sporadica per potentias diversas nocentes provocata sine ullis prodromis in homine apparenter sano evolvitur, subito comparent vomitus et diarrhoea, initio evacuantur ingesta alimenta et potulenta, pro parte immutata, dein bilis varie colorata, ideo vocatur morbus hicce cholera seu bilis profluviū. Non raro evacuationes has profusas praecedunt, saepius comitantur dolores in diversis regionibus abdominis, in primis in regione epigastrica et umbilicali constringentes, sensum ardoris excitantes, quibus mox accedunt anxietas nimia, inquietudo, dyspnoea, et sub evacuationibus haud cessantibus aeger pallescit, sensus obfuscatur, pulsus et vox evadunt debiles, extrema frigent, aeger in animi deliquium incidit; ita ex symptomatibus valde manifestis diagnosis morbi relate ad formam est valde facilis; haec tamen cognitio haud sufficit ad naturam morbi definitiendam et ad therapiam rationalem coordinandam, causae etiam profluviū erni debent.

§. 129.

Cholera sporadica excitatur saepe per ingesta, ut potus spirituosos, in primis non debite fermentatos, per cibos valde pingues, in primis rancidos vel alio modo corruptos, per fructus copiosos, ut melones, cucumeres, per pharmaca emetica, purgantia drastica, venena caustica, acria, in primis arsenicum et mercurium sublimatum corrosivum; per has causas ventriculus et tubus intestinalis violenter irritantur, sic motus eorum convulsivus provocatur cum secretione bilis morbosa, ideo vocatur cholera artificialis seu spuria. Talis excitatur subinde per motum corporis in gyrum, ut J. P. Frank describit, subinde

excitatur antagonisticē, dum evacuationes aliae habituales supprimuntur, vel morbus alter e partibus externis dispatet; ita cholera atrocissima, quam Tralles describit, excitata fuit per arthritidem e pedibus evanidam. Frequentiorem causam excitantem constituit refrigerium calente corpore admissum. Subinde infantes teneri tempore dentitionis difficilis corripiuntur cholera, non quidem per dentium evolutionem provocata, sed ob hypercinesiam majorem sub hac evolutione organismi praesentem causaq; excitantes in cutim vel tubum intestinalem agentes, morbum graviorem generant.

Praeter cholera sporadicam, omni anni tempore observatam, datur cholera epidemica, quam post Sydenham plures observatores descripserunt, quae mense Angusto et initio Septembri omni fere anno in diversis Europae provinciis, etiam in Hungaria recurrit et vocatur cholera epidemica Europaea vulgaris. Causa ejus est, quod per calorem nimium atmosphaerae systema cholopoeticum in statum irritatum conjiciatur, ideo morbi biliosi facile exoriuntur; simul ad statum normalem organismi conservandum functio cutis exaltata est, ideo si per refrigerium admissum functio cutis impeditur, tunc sistema cholopoeticum adhuc majorem irritationem experitur; ideo bilis morbosa et nimia quantitate secreta per emesim et catharsim effunditur. Praeter refrigerium atmosphaera humida, exhalationibus paludosis imprægnata subit peculiarem mutationem, sub qua generatur miasma, quod influxu suo provocat febres intermittentes, dysenterias et choleras; cum talis constitutio atmosphaerae sub tropicis, in primis in insulis valde frequens sit, ideo etiam cholera ibidem endemica est.

§. 130.

Pro diversitate momentorum et constitutionis individu-alis variat decursus, duratio et exitus morbi; saepe cholera constituit morbum continuum continentem acutissimum, non raro etiam intermittentem; tempore nempe, quo febres

intermittentes regnant, observantur aliae emeticæ, aliae dysentericæ, aliae cholericæ. Licet symptomata evolvantur horribilia, tamen morbus subinde per autocratiam naturæ solam sanatur, in primis dum in homine sano per alimenta vel potulenta, quantitate aut qualitate peccantia inducitur; sed quae generatur per ingesta venena acria, vel refrigerium calente corpore admissum, vel epidemice per miasma cholericum, constituit morbum periculosissimum, qui subinde intra paucas horas, saepe post duos tresve dies aegrum enecat, rarissime ultra septem dies durat, quem funestum exitum morbi sibi relictæ vel perverse tractati in plurimis casibus ayertere valemus per therapiam rationalem.

§. 131.

Therapia non datur una specifica contra omnem cholaram, sed varia pro diverso charactere morbi dynamici, et pro diversitate causarum excitantium; semper conantur causas excitantes forte adhuc praesentes quam citissime removere. Dum morbus producitur per ingesta qualitate peccantia, tunc illa evacuari debent; ipsa natura hoc perficere intendit per vomitum et diarrhoeam, ideo evacuationes has nullo modo supprimi, sed facilitari, promoveri debent, simul impediendo, ne irritatio in tubo intestinali inflammationem provocare valens locum habeat; ideo decocta emollientia, mucilaginosa, oleosa ex althaea, salep, hordeo, avena, oryza, pane, jusecula gelatinosa, emulsio oleosogummosa, sunt maxime utilia. Dum cholera provocatur per morbum forte aliud, ut rheumatismum, arthritidem, exanthema, & partibus externis evanidum, tunc irritatio cutis per sinapismum, frictionem, vesicantia indicata est. Dum vero cholera symptoma febris intermittentis est, tunc in cortice cinchonæ cum opio possidemus efficacissimam medicinam, tempore apyrexiae exhibendam.

Sed saepe causis excitantibus remotis, ingestis per ipsam autocratiam naturæ eliminatis, refrigerio vel miasmate cholericæ jam in aegrum haud agente, effectus potentiarum illarum nocentium in organismo perdurat, tunc

indicationem curae desumimus a statu dynamico-organico, per quem evacuationes illae nimiae sustentantur; examinamusque scrupulose, sit-ne status ille dynamico-organicus inflammatorius, tunc methodus anti-phlogistica, ipsae sanguinis evacuationes, subinde universales, saepius topicae indicatae sunt. Saepius quidem charactere inflammatorio haud praesente tantum per hypercinesiam ventriculi et tubi intestinalis sustentatur emeto-catharsis excessiva, et tunc efficacissimum pharmacum possidemus in opio, cujus tincturae guttas quinque, decem usque quindecim exhibemus omni quadrante horae, donec vomitus et diarrhoea effrenes mitigati fuerint, tunc dosim imminimus et intervallo majori exhibemus pharmacum; nec emeto-catharsi silente statim ab usu ulteriori pharmaci abstinemus, facile morbus terribilis revertitur, ideo opium dosi minori per unum alterumve diem continuamus. Remedium heroicum experientia multiplici probatum, nisi manu cauta exhibitum fuerit, facile noxiū; tristis observatio docet, in epidemias cholericis aegros non paucos magis per opium dosi excessiva exhibitum, quam per morbum enecatos fuisse. Morbo in gradu mitiori praesente, per hypercinesiam solam sustentato, tollendo, sufficit et minor dosis opii; ita infantibus tenetris contra cholera m sub dentitione praescribimus tincturæ opii guttam unam in decocto emolliente, adultis exhibemus guttam unam, duas, tres tincturæ opii, initio lomai media, dein omni hora, dein omni bihorio. Deglutitione impedita commendatur, ut quantitas dupla opii in clysmate exhibeat, in decocto emolliente, vel in solutione amyli, estque nonnullis aegris applicatio talis remedii utilis, dum in aliis evacuationem potius promovet; magis proficia est iunctio opii in externam superficiem abdominis.

Nec tamen opium virtute peculiari specifica in cholera instructum est, non raro alia pharmaca blandiora majorem efficaciam exerunt, ut extractum hyoscyami, cicutae, subinde ipecacuanha dosi refracta, partim sola, partim opio juncta. Angli medici ex observationibus in India factis maxime commendant calomelam, jam solam, jam opio jun-

tam. Bang docet, se morbum saepe feliciter sanasse camphora in liquore anodyno minerali soluta, cuius guttas 10—20 exhibuit. Aretaens et Celsus laudant in primis aquam frigidam, tam interne, quam externe adhibendam; sed hoc remedium heroicum caute adhibendum est, attentionem dirigendo in effectus remedii; dum morbus per refrigerium excitatus est, dum post applicationem aquae frigidae augetur emeto-catharsis, vel spasmi provocantur, tunc applicatio remedii ulterior haud continuanda; tunc saepe prosunt fomenta calida, jam sieca, jam humida, aromatica, vel aromatico-vinosa, quibus etiam extremitates frigidas involvimus; non raro cutim, in primis abdomen irritamus per cucurbitulas siccas, episistica, sinapismos, vesicantia. Remotis symptomatibus morbi saepe reconvalescentia est brevis, nullam curam ulteriorem deposcens; saepe tamen remanet debilitas, in primis tubi intestinalis, unde alvus jam pertinaciter obstipa, jam lienteria, jam dyspepsia, atque tunc praeter sollicitam evitationem causarum excitantium, non raro jam methodus mitior anti-phlogistica, jam blande solvens, saepius moderate roborans indicata est.

Cholerae huic vulgari similis, natura tamen sua distincta, magis horribilis, conatus medici saepe eludens, est Cholera Asiatica.

CHOLERA ASIATICA.

§. 132.

Cholera Asiatica, vocatur etiam **Indica**, pestis **Indica**, quia non secus ac pestis saevit, in India orientali jam a longo tempore observata, et a medicis tam Indis, quam Europaeis, in primis Anglis descripta, vocaturque in India *Sitanga*, *Vischuchi*, *Vischuchiki*, *Neercomben*, *Mordyrim*, a Portugallis *Mordechie*, a Gallis *mort de chien*. Bontius refert historiam cholerae epidemicae in India jam anno 1729 observatae; observatores alii descripserunt epidemias 1769, 1770, 1774, 1778, 1781, 1782,

1783, 1787, 1790, 1804 et 1814 evolutas, quae tamen nec valde late extensae, nec diu durantes erant. Annis 1815 et 1816 vicissitudines atmosphaerae insolitae locum habuerunt in Indiis, aestu plane extra-ordinario praegresso, imbræ sequebantur, provincias plurimas inundantes; in primis fluvius Ganges exundationes fecit nimias, ita ut regio tota, Delta dicta, ubi fluvius in ramos divisus in mare effunditur, paludem latam constituerit; per exhalationes paludum, putredinem animalium ac vegetabilium aër singulari modo corruptus est, et generatum fuit miasma singulari virtute perniciosa praeditum, quod produxit morbum novum, non tantum ad Indiam restrictum, sed per Asiam, fere totam, Europæ partem maximam, Africæ partem unam usque in Americanam septentrionalem extensem, epocham novam in medicina, imo in ipsa sorte populorum constituentem. Incepit morbus 1817 mense Augusto Jessorae, symptomatibus antea haud observatis; aegri nempe subito corripientur spasmis vehementissimis, vomitu et diarrhoea effreni, et intra paucas horas enecabantur; brevi morbus observatus fuit late per provinciam extensus, etiam in exercitu Anglico e decem mille militibus regularibus et octoginta mille famulis composito erupit, et intra duodecim dies novem millia, secundum alios viginti milia eorum trucidavit. Jam mense Septembri saeviebat Calcuttae in distantia centum milliarium a JESSORA; 1818. jam saeviebat morbus in BOMBAY, Madras, Coromandel, Ceylon, Siam, Malacca, Sunda usque Chinam. Anno 1819 extendebatur morbus per insulas S. Mauritii (Isle de France) et Bourbon, atque Java. Anno 1820 strages edidit in Tunkin, Cochinchina et in ipso imperio immenso Chinensi. Eodem anno visitavit etiam insulas Philippicas et Moluccas. Anno 1821 propagatus est morbus usque ad littora sinus Persici in Arabiam, inde in Persiam ac Turciam usque Bassoram et Bagdad; 1822 pertigit usque Jead; 1823 propagabatur versus mare Caspium, usque Astrachan ad limites Russiac et in Turcia usque Antiochiam, et jam tune morbus Europæ insidias strueps, attentionem tam medicorum, quam magistratum

excitabat, ad morbum novum terribilem, qui in Asia plures millions trucidaverat, omnibus viribus arcendum. Intervim per annos complures remisit, propterea opinabantur jam extictum morbum esse, et culturam Europaeam horre, donec anno 1829 novo furore coepisset saevire in Asia, et partim ex Persia, partim ex vicina China, Bulgaria, sub fine anni 1829 penetravit morbus in Russiam in Orenburg et Astrachan; videbatur post mensem extingui, anno 1830 frigore summo existente mense Januario coepit iterum saevire, et eodem anno late extendebatur per imperium Russicum; mense Septembre sedem sivebat Moscoviae, et licet medici cultissimi, zelo sincero animati, artis praesidia omnia adhibuissent, licet et magistratus civiles, praeerunte ipso Czaro potentissimo et zelosissimo omnem curam physicam et moralem egissent ad morbi terribilis propagationem ulteriorem impediendam, tamen scopum suum assequi nullo modo poterant; morbus omnes hominum cognatus eludens ultro progredebatur, et sub exordio anni 1831 jam in limitibus Galliciae conspiciebatur; licet imperium Austriacum sollicitudinem vere paternam eo convertisset, ut inimicum hunc insolitum repelleret, nihil valuerunt vigiliae, penetravit morbus in Galliciam, et mense Aprili jam in urbe metropoli Leopoli saeviebat, moxque per provinciam totam extendebatur. Eodem tempore propagatus fuit morbus in Poloniā, saeviebatque in primis in urbe, quae tunc luctabatur in revindicanda libertate sua; non obstantibus vigiliis militaribus severe et magnis summib[us] erectis, tamen morbus semper ultro processit; mense Mayo comparuit Dantisci et Rigae; mense Junio perrupit vigilias triplici serie erectas et invasit Petropolium; eodem fere tempore penetravit in Hungariam, et mense Julio jam Pestini ac Budae vim suam noxiā exeruit, hominum mentes, animos et corpora conveltebat, et fere eodeni momento temporis per Hungariae provincias late extensas crudelitate maxima saeviebat. Eodem fere tempore, non obstantibus vigiliis Borussicis maxime laudatis, penetravit morbus in Silesiam. Mense Septembre vigiliae diu, noctu-

que in armis constitutae, e militibus strenuis, in ipsa pesti orientali arcenda exercitatis, compositae Austriam defendere contra morbum haud poterant; morbus initio Viennæ rarus, ubi 13 et 14 Septembbris tota die pluvia frigida fuit, nocte eadem subito in media urbe cives cultissimi, qui nullam prorsus communicationem inter se habebant, morbo correpti, et eorum plurimi cito extincti sunt; licet vigiliae dein, per experientiam inutiles cognitae, dimissae fuerint, tamen morbus nec in urbe, nec in provincia reliqua Austriae strages magnas edidit; majores observatae sunt in Moravia et Bohemia, ubi morbus tantum anno 1832 extinctus est. Mense Septembre 1831 inyasit morbus urbem Germaniae cultissimam Berolinum, et non obstante cultura personarum medicarum et magistratum, tamen easdem produxit perturbationes physicas et morales, quas alibi. Anno 1832 morbus passibus lentioribus propagabatur per partem Germaniae septemtrionalem usque Hamburgum, dein in Angliam, Scotiam et Hiberniam, fuitque in imperio magnao Britanniae, in primis autem Londini in urbe orbis amplissima mitissimus. Eodem anno penetravit in Galliam, in provinciis mortes non multas causavit, sed in metropoli a cultura, a virtutibus et sceleribus magnis celeberrima, inter omnes urbes Europæ maxime saeviebat. Sub initio anni 1833 morbus in Europa videtur silere; in America septemtrionali sub fine anni 1832 adhuc strages edidit.

R. Tytler, Remains on m^rbus oryzeus, or diseases occasioned by the employment of noxious rice as food. Calcutta. 1820.

R. Orton, Essay on the epidemical Cholera of India. Madras. 1820.

Curtis, an account of the diseases of India, as they appeared in the english fleet and in the naval Hospital at Madras in 1782, 1783 etc. Edinburg. 1807.

Reports on the epidemic Cholera, which has raged throughout Hindostan and the peninsula of India, since August 1817, published under the authority of the Bombay Government. Bombay. 1819.

Nachrichten über die Cholera-Seuche, wie sie in Hindostan und in der Indischen Halbinsel in den Jahren 1817, 1818 und 1819

- geherrscht hat; gesammelt und auf Verordnung der Regierung herausgegeben von der Medizinal-Behörde in Bombay, a. d. engl. übers. von F. Reuss. Stuttg. u. Tübing. 1831.
- J. Jameson, Report on the epidemic Cholera-morbus, as it visited the territories subject to the Presidency of Bengal, in the Year 1817, 1818 and 1819, drawn up by order of the Government, under the Superintendence of the Medical board, Calcutta. 1820.
- Bericht über die Cholera-Seuche, welche das Gebiet der Präsidentschaft von Bengalen in den Jahren 1817. 1818 und 1819 heimgesucht hat, a. d. engl. von F. Reuss. Stuttg. u. Tübingen. 1832.
- W. Scott, Report of the epidemic Cholera, as it has appeared in the territories subject to the presidency of Fort St. George Madras. 1824.
- Aemtlicher Bericht über die epidemische Cholera, deutsch von F. J. Behrend, mit Anmerkungen von M. H. Romberg. Berlin. 1832.
- J. Annesley, Treatise on the epidemic Cholera of India. London. 1831.
- Über die Ostindische Cholera, nach vielen eigenen Beobachtungen, a. d. engl. von G. Hinly. Hannover. 1831.
- Hasper, über die Natur und Behandlung der Krankheiten der Tropenländer. Leipzig. 1831.
- Tilesius, über die Cholera und die kräftigsten Mittel dagegen. Nürnberg, 1830. 2te Abth. Leipzig. 1831.
- E. Schnurrer, die Cholera-morbus, ihre Verbreitung, ihre Zufälle, die versuchte Heilmethode, ihre Eigenthümlichkeiten, und die im grossen dagegen anzuwendenden Mittel. Stuttg. u. Tübing. 1831.
- G. F. Uffer, Versuch einer Darstellung der Cholera-morbus im Allgemeinen. Pest. 1831.
- C. F. Harless, die Indische Cholera, nach allen ihren Beziehungen, geschichtlich, pathologisch, diagnostisch und als Gegenstand der Staats und Sanitäts Polizei dargestellt. Braunschweig. 1831.
- Marx, die Erkenntniss, Verhütung und Heilung der ansteckenden Cholera. Carlsruhe u. Dresden. 1831.
- E. D. A. Bartels, Grundzüge einer speciellen Pathologie und

Therapie der Orientalischen Cholera, als Leitfaden für praktische Aerzte. Berlin. 1832.

J. R. Lichtenstädt, die Asiatische Cholera in Russland in den Jahren 1829 und 1830. Berlin. 1831.

— die Asiatische Cholera in Russland in den Jahren 1830 bis 1831. Berlin. 1831, 1832. 4 Liefr.

Lichtenstädt und Seydlitz, Mittheilungen über die Cholera-epidemie in St. Petersburg im Sommer 1831. Berlin. 1831.

J. C. Loder, über die Cholera Krankheit, ein Sendschreiben. Königsberg. 1831.

— Zusätze ebend. 1831.

A. L. Köstler, aus der Erfahrung geschöpfte Andeutungen zur Erkenntniss und Behandlung der epidemischen Cholera. Wien. 1831.

M. Rohrer, die epidemische Brechruhr in Lemberg. Brünn. 1831.

J. M. Prchal, die Cholera beobachtet in Gallizien, im Jahre 1831. Prag. 1831.

J. Riedel, die Asiatische Cholera, nach den in Gallicien gemachten Erfahrungen und Beobachtungen. Prag. 1832.

M. Lenhossék, Animadversiones circa curandam Choleram Orientalem, et alias epidemicos morbos, in Regno Hungariae nuno vigentes, secundum captas hactenus observationes. Budapest. 1831.

J. Pólya et J. C. G. Grünhut, Summa observationum, quas in Cholera orientali a die 24. Julii usque 20. Septembris 1831 in L. R. C. Pest. nosocomiis collectis sistunt, cum iconibus morbi. Pestini. 1831.

A. Jankovich, die epidemische Cholera in den Jahren 1817 bis 1832, ihr Wesen Ursachen und rationelle Behandlung. Ofen. 1832.

F. Eckstein, die epidemische Cholera, beobachtet in Pest; in den Monaten Juli, August, September 1831. Pest. und Leipzig. 1832.

A. D. Bastler, die Cholera in Wien 1831, als Resultat hiesiger Beobachtungen, und eines Heilverfahrens, durch welches von 143 Cholera Kranken höheren und höchsten Grades in den Tagen der grössten Gefahr, 139 gerettet und vollkommen wieder hergestellt worden. Wien. 1832.

- A. Wawruch, Versuch die Natur der epidemischen Cholera pathologisch zu enträthseln (Mediz. Jahrb. des k. k. Öster. Staates, Bd. XI. St. 4. Bd. XII. St. 2. 3. Bd. XIII. St. 4. S. 498.)
- F. Guntner, Beobachtungen der Wiener Aerzte über den epidemischen Brechdurchfall im k. k. allgemeinen Krankenhaus in Wien. (Med. Jahrb. des k. k. Öster. Staates: B. XI. St. 4. B. XII. St. 1. 2. 3. 4. B. XIII. St. 1. B. XIV. St. 1.)
- J. Knolz, Beobachtungen der Wiener Aerzte über die epidemische Brechföhrl und ihre Heilart. (Ebend. Bd. XII. St. 1.)
- J. Wisgrill, Resultat der pathologischen und therapeutischen Erfahrungen über den epidemischen Brechdurchfall, gesammelt in Wien. (Ebend. Bd. XII. St. 1, 2, 3.)
- J. Wagner, einige Bemerkungen über die Cholera-epidemie in Wien, aus dem pathologisch ähntlichen Gesichtspunkte (Ebend. Bd. XI. St. 4.)
- J. Berres, Erfahrungen gesammelt bei den Sectionen der in den verschiedenen Stadien der Cholera Verstorbenen. (Ebend. Bd. XIII. St. 1.)
- J. G. Humpel, de abdomine cantharidibus exulcerando, in Cholerae morbi curatione remedio, commentatio. Vindobonae 1831.
- F. Müller, die Cholera und die Anwendung der Kälte, als einfachsten Schutz- und Hauptmittels derselben. Wien. 1832.
- Oertl, die indische Cholera, einzig und allein durch kaltes Wasser zu vertilgen. Nürnberg. 1831.
- A. Riecke, Mittheilungen über die morgenländische Brechruh. Stuttgart. 1831.
- Breyer, die Cholera Epidemie zu Berlin (Hüseland's Journal der prakt. Heilk. 1832. Jan.)
- G. C. Reich, die Cholera in Berlin, mit Andeutungen zu ihrer sichern Abwährung und Heilung. Berlin, 1831.
- J. L. Casper, die Behandlung der asiatischen Cholera durch Anwendung der Kälte. Berlin. 1831.
- Berliner Cholera-Zeitung. Berlin. 1831.
- Cholera-Archiv, von Albers, Barez, Battels, Eck, Hotz, Kling und Wagner. Berlin. 1832.
- J. Radius, Mittheilungen des neuesten und wissenswürdigsten über die asiatische Cholera. Leipzig. 1831.

Verhandlungen der physicalisch-medizinischen Gesellschaft zu Königsberg über die Cholera. Königsberg. 1831.

L. W. Sachs, die Cholera nach eigenen Beobachtungen in der Epidemie zu Königsberg im Jahre 1831. Königsberg. 1832.

K. F. Bündach, Historisch-statistische Studien über die Cholera-Epidemie, vom Jahre 1831 in der Provinz Preussen. Königsberg. 1832.

Die epidemische Cholera in Stettin im Jahre 1831, von einem Vereine praktischer Aerzte. Stettin. 1832.

H. S. Sinowitz, de Cholera epidemica 1831 anno Dantisci et Berolini observata, tractatus pathologico-therapeuticus. Gdani. 1831.

Die asiatische Cholera in Breslau, während der Monate October, November, December 1831. Breslau. 1832.

J. H. Schmidt, Physiologie der Cholera. Berlin. 1832.

A. Moreau de Jonnès, Rapport au conseil supérieur de santé sur le choléra-morbus pestilentiel, les caractères et phénomènes pathologiques de cette maladie, les moyens curatifs et hygiéniques, qu'on lui oppose, sa mortalité, son mode de propagation et ses irruptions dans l'Indostan, l'Asie orientale, l'Archipel Indien, l'Arabie, la Syrie, la Perse, l'empire Russe et la Pologne. Paris et Bruxelles. 1831.

G. Bouillaud, Traité pratique, théorique et statistique du Choléra-morbus de Paris, appuyé sur un grand nombre d'observations, recueillies à l'hôpital de la Pitié. Paris. 1832.

H. Paillard, Histoire statistique du Choléra-morbus, qui a régné en France en 1832. Paris. 1832.

A. N. Gendrin, Monographie du Choléra-morbus épidémique de Paris. Paris. 1832.

§. 133.

Cholera epidemica tam in Asia, quam Europa observata, pro diversitate climatis, anni temporis et in primis constitutionis individualis aegrorum subivit modificationes non paucas, symptomata tamen habet talia ubique locorum et omni tempore, ut morbus specificus, ab omnibus aliis distinctus facile agnosci possit. Maxime terribilis est morbus sub forma acutissima, vocatur cholera exquisita seu asphyctica, quae hominem subito invadit, prodro-

mis vix ullis praegressis vires statim omnes prosternuntur, facies evadit pallida, turgore vitali evanido, cutis universa in primis in facie collabitur, atque in manibus et pedibus rugas efformat, sensus obfuscantur, bulbi oculorum profunde in orbitam incident, annulo fusco, vel livido, vel virescente cinguntur, vomitus et diarrhoea contingit minori copia, subinde nulla evaquatio (cholera secca), sed spasmis dolorificis, tetanicis constringuntur surae, corpus totum riget, rarius convellitur, anxietas summa pectus premit, vox debilis, rauca, cholérica est, pulsus arteriarum minimus et brevi nullus percipitur, extrema frigent ac livent, lingua frigida evadit et homo intra paucas horas exstinguitur. In tali statu aeger est tantum objectum pathologicum, species tamen haec cholerae acutissima rarior est. Longe frequentiores occurunt gradus morbi minores, morbus mitissimus opera etiam levi tollendus, vocatur *cholerina*, et summe probabile est, medicos, qui gloriantur de cholericis multis consanatis, fortunam habuisse tales aegros tractandi. Dum morbus in gradu vehementiori evolvitur, distingui possunt in decursu ejus; stadium prodromorum, stadium cholericum, quod transit non raro immediate in mortem, saepius in stadium reactionis seu crisis, quod terminatur aut in sanitatem, aut in mortem, aut in morbum aliud.

§. 134.

Prodroma observantur varia; in multis habitus externus mutatur, cutis pallidior redditur, ipsa lineamenta faciei anxietatem quamdam et inquietudinem exprimunt, somnus turbatur, capitis dolor, temulentia, artuum dedolatio percipiuntur, his accedunt appetitus cibi minor, dolor obtusus in abdome, nausea, vomituritio, borborygmi, alvus subinde obstipa, longe frequentius diarrhoica, contingit nempe evacuatio alvi solito frequentior magis tenuis et sensum debilitatis majoris excitans; subinde comparent symptomata catarrhalia cum doloribus extremitatum lacinantibus,

durantque prodroma ea per horas , subinde per dies plures donec ipse morbus evolvitur.

§. 135.

Morbus evolutus sub triplici forma occurrebat ; in non paucis cholera febrilis se manifestabat pulsu frequenti , subinde pleno et duro , cephalaea intensa , turgore faciei majore , cordis palpitatione et dolore , pectoris anxietate , siti nimia , in primis erga aquam frigidam , cum sensu ardoris interni , ideo cum desiderio corpus retegendi et refrigerandi . His symptomatibus cito accessit dolor abdominalis , sensus ardoris in regione epigastrica et umbilicali , mox evacuatio excessiva , in nonnullis casibus occurrebat tantum diarrhoea , auctores vocant diarrhoeam cholericam ; in aliis aderat vomitus sine diarrhoea , in longe plurimis casibus simul et vomitus , et diarrhoea affligebant aegrum , liquidumque evacuatum saepe quantitatis magnae , saepe minoris , initio continebat partes ingestorum , dein fuit tenue serosum , albo-opacum , simile decocto oryzae , in quo conspiciebantur jam grumi , jam flocci membranacei ; subinde erat liquidum fuscum , virescens , sanguine mixtum , rarissime bilem continebat , post evacuationem sentiebat quidem aeger levamen quoddam , sed remanebat anxietas nimia , et levamen brevissimo tempore durabat , mox iterum cum quietudine aucta recurrebant evacuationes effrenes . Morbus forma hac se manifestans ab auctoribus vocatur cholera erethistica , quem characterem retinuit subinde tantum per unam , saepius tamen per duodecim usque viginti quatuor horas . Non raro statim post invasionem citissime compauruit forma tali , in qua symptomata energiae vitae oppressae et exhaustae maxime conspicua fuerunt , vocatur sub hac forma cholera torpida , a nonnullis paralytica , in qua praeter evacuationem vel per solam emesim , vel diarrhoeam , vel utrumque alia phaenomena distincta observantur ; nempe calor animalis statim est imminentus ita , ut cunctis universa per manum hominis sani contingatur frigidiōr , licet ipse aeger de frigore non conqueratur , in primis inci-

piant frigere nares , digitū et lingua , quae ut plurimum ob-
tecta est muco albo ; cutis non tantum frigida , sed etiam
pallida evadit , contractilitate amissa , quasi apparenter mor-
tua collabitur citissime , facies conspicitur rugosa , senilis ,
similes rugae characteristicae efformantur in digitis manuum
et pedum ; si cutis in collo supra musculum sterno-cleido-
mastoideum vel in abdomine elevatur in plicam , haec ,
quemadmodum in cadavere , diutissime remanet , lentissimo
tantum cutis decidit , quod signum pathognomonicum a
Casper Berolini detectum , dein in omnibus aegris compre-
batum est ; oculi nitore suo privati profunde in orbitam
incident , cincti annulo livido , vel fusco nigrescente , qui
inducitur per sanguinem stagnantem ; nam circulatio san-
guinis in cuti retardatur , saepe penitus cessat , ideo in ex-
tremitatibus , subinde etiam in cuti reliqua observatur li-
vor , cyanosis cholérica ; vasa sunt quasi exsanguia , ideo
hirudines cuti applicitae nihil sugunt , in morbo ad gradum
altiorem erecto post phlebotomiam institutam nullus sanguis
funditur.

Sub exordio morbi cutis est ut plurimum sicca urinae
quoque secretio imminuta , morbo increscente nulla , ita ut
per catheterem impositum nulla evacuatio urinae provocari
possit . Praeter secretiones ac excretiones abnormes saepe
statim sub exordio morbi , subinde post plures horas , vel
post secundum aut tertium diem accedunt spasmi , frequen-
tissime prima vice in suris tonici et cum dolore conjuncti ,
dein extenduntur per extremitates inferiores et superiores ,
per musculos pectoris et abdominis , quod saepe nimis ten-
sum et contractum occurrit , ipsum diaphragma tali spasmis
tonico afficitur , ideo respiratio est valde brevis et anxia ;
spasmi remittunt quidem , sed iterum revertuntur , et in
nonnullis casibus spasmi tetanici alternant cum convulsi-
onibus ; observationes tam in Asia , quam Europa docuerunt ,
spasmis nimirum evolutis emeto-catharsim in genere mitiorem
esse . Dum ita functiones omnes vitae organicae maximo in
gradu perturbatae sunt , et musculi spasmis diversis exagi-
tantur , sensus externi et interni saepe a statu suo normali

valde parum recedunt, aeger conscientiam sui integrum retinet, deliriis raro comparentibus.

§. 136.

Ita morbus symptomatibus suis characteristicis evolutus durat per unum alterumve diem, et frequenter ex hoc studio statim transit in mortem; tunc increscit livor, frigus ab extremitatibus semper in reliquo corpore magis extenditur, in primis lingua evadit ita frigida, ut frustum glaciei, etiam halitus oris est magis frigidus, in cuti comparet sudor sed glutinosus et frigidus, vomitus et diarrhoea redduntur rariores, subinde inscio aegro alvus fluit, urinae nec gutta evacuatur, quin in regione hypogastrica dolor vel tumor aliquis observetur, abdomen totum concidit, cutis fit semper magis rugosa, facies cadaveris instar pallida, palpebris aut clausis, aut semi-apertis, oculi sunt profundius illapsi, rigidi, fixi, immobiles aut sursum versus contorti, respiratio anxia, debilis, saepe vix perceptibilis, subinde strepitosa, vox peculiari modo rauca, debilis, cholericia, tandem nulla, pulsus arteriarum jam longiori tempore nullus, motus cordis nec stethoscopi ope perceptibilis, accedit status soporosus, dum aeger evigilat, est adhuc sui conscientis, et saepe morte jam cordis, vel pulmonum citius evoluta mors cerebri pacate subsequitur. Subinde est status tantum asphyeticus, nam exempla referuntur aegrorum talium jam in tumbas depositorum et iterum excitatorum.

§. 137.

Neque tamen cholera omnis, etiamsi in gradu magno evoluta, morte terminatur, imo vero in casibus longe pluribus, postquam symptomata morbi jam gradum illum attingerant, ut extrema livida et frigida, pulsus arteriarum vix perceptibiles, respiratio et vox valde debiles essent, evacuationibus adhuc perdurantibus, non raro iis jam silentibus sequitur stadium reactionis, pulsus arteriarum elevantur, finit frequentiores, calor animalis successive exaltatur, inquietudo nova, capitis temulentia, dolor, sitis

intensa; non raro etiam vomitus et diarrhoea, spasmi, doloris alternantia cum statu soporoso evolvuntur, sub forma febris cum charactere nervoso, vel nervoso-septico; autores nonnulli vocant cholera m typhodem vel febrim nervosam cholericam.

Hoc stadium reactionis variat intensitate, duratione et complicatione; partim ob constitutionem individualem negri, partim ob genium epidemiae regnantis, partim ob influxum externum; non raro ob remedia contra morbum adhibita producuntur diversa phaenomena. subinde symptomata gastrica in gradu eminentiori, subinde symptomata majora congestionis in encephalon, vel pulmones, vel ventriculum et tubum intestinalem ita, ut sub hoc stadio primum evolvantur symptomata meningitidis cephalicae, vel peripneumoniae, vel gastro-enteritidis.

Stadium hoc subinde est brevissimum, paucarum horarum, ubi energia vitae jam exhausta est, vel ubi praedpositio morbosa eminentior latens ad apoplexiā vel haemorrhagiam nunc magis provocata est; sepe tamen hoc stadium perdurat per dies plures, tres, quatuor, septem, atque tunc non raro per solam autocratiam naturae, saepius per therapiam rationalem in sanitatem deducitur morbus, quem exitum felicem cum aliqua probabilitate exspectamus, dum vomitus et diarrhoea rariores, et minus abnormes evadant; in evacuationibus conspicimus initio bilem, dein etiam faeces, frigus e cuti disparet, sudor moderate calidus comparet, urina incipit socerni et excerni, lingua calidiore et puriore redditā sitis minus afflit, cibi appetitus aliquis se insinuat, pulsus major percipit, turgore cutis vitali successive recurrente somnus pacatus paucarum horarum aegrum reficit. Non raro, dum emendatio haec inchoat, observamus sindrem criticum, alvi urinaeque evacuationes criticas, subinde haemorrhagiam moderatam, in primis narum, subinde erumpit urticaria per cutim universam, non raro miliaria, in rarioribus casibus furunculi, sub continuato decremento morbi in plurimis aegris desquamatione cutis observatur,

Sic in casu felici addacitur stadium reconvalsentiae, subinde intra panceos dies absolutum, dum tamen morbus gravior et complicatus fuit, ibi remanet debilitas chronica, in primis organorum digestionis et chylificationis, reconvalsentia est longa, in plures menses excurrens, vexantur aegri diu gastralgii, enteralgiis, alvo obstipa, saepe diarrhoea, subinde vomitu, corpus emaciatur, nonnulli incident in hydropem, in aliis evolvuntur morbi encephali, in infantibus hydrocephalus internus, in adultis vesaniae, sensuum obscurations, convulsiones, paralyses, in nonnullis dyspnoea vel fusses chronicæ, qui morbi posthumū non raro quidem per naturam, saepius arte rationali adjuvati feliciter devincuntur, sed multos etiam enecant.

§. 138.

In cadaveribus ex cholera extintorum varia observata sunt, pro diverso charactere, complicatione morbi praegressi et stadio, in quo mors subsecuta est. In omnibus erat cutis pallida, livida, flaccida, rugosa, maculosa, in primis circa oculos annulo cinereo, livido notata, habitus externus fuit tensus, contractus, digitæ extremitatum fortiter flexi, surae rigidae, quasi spasmus tonico contractae, imo nonnulli auctores adnotarunt in cadaveribus adfuisse convulsiones, probabilius status fuit adhuc asphycticus, mortem veram praecedens, qua præsente nulli sunt spasmī. In nonnullis rigore absente flexibilitas artuum major adnotata est. Praeter foetorem cadaverosum alter peculiari non distinguebatur. Vasa cutis sub incisione vix aliquem sanguinem continebant, sed sanguis congestus repertus est. in vasis cavorum internorum, ita vasa encephali reperta sunt targida, subinde etiam sanguis extravasatus; idem in specu vertebrarum observatum est. Cavum pectoris per pulmones extensus dilatatum, raro collapsum inventum, cor flaccidum tenebat sanguinem saepe polyposum. In cavo abdominalis vasa omnia, in primis mesenterii, ventriculi, tubi intestinalis et hepatis sanguine nimis extensa fuerant. Sanguis in vasis cadaveris accumulatus, uti etiam vivente

aegro e vena per phlebotomiam expressus fuit peculiaris, qualis in nullo alio morbo observatus est, spissus, ater, piceus, charactere arterioso plane deleto, in eminenti gradu venosus, seri et particularum salinarum quantitatem minimam continens. In ventriculo et tubo intestinali repertum est subinde liquidum, simile illi, quod vomitu et alvo evacuatur, album subopacum, grumis mixtum, subinde varie coloratum, jam fuscum, jam bruneum, jam virescens, jam rubicundum, quod a sanguine morbose secreto varie dilato et a pharmacis forte ingestis dependebat; nec bilis, nec faeces detegebantur in tubo intestinali, sed bilis accumulata fuit in cystide fellea nimis turgida. Renes fuerunt flaccidi, vesica urinaria contracta et in casibus longe plurimi vacua.

Dum mors contingit post stadium reactionis, tunc in tubo intestinali bilis, vermes, in primis trichocephalus dispar et ascaris lumbricoides, in vesica urinaria lotium reperiabantur, in talibus etiam signa inflammationis in diversis partibus, et in diverso gradu, ut meningitidis, peri-pneumoniae, carditidis, hepatitidis, metritidis, in primis gastro-enteritidis reperta sunt ita, ut membranae tubi intestinalis fuerint tumidae, vasis multum turgidis perreptatae, glandulis et Brunnerianis et Peyerianis in pustulas elevatis. Ossa, in primis dentes observati sunt rubri.

J. Berres, Erfahrungen, gesammelt bey den Sectionen der in den verschiedenen Stadien der Cholera verstorbenen. (Medizinische Jahrbücher des K. K. Österreichischen Staates. B. B. St. I. S. III.)

W. B. O'Shaughnessy, Report on the chemical pathology of the malignant Cholera, containing analyses of the blood, dejections, etc. of patients labouring under that disease in Newcastle and London. London. 1832.

J. Cruveilhier, Anatomie pathologique du corps humain. Paris. 1833. Quatorzième livraison. Cholera mörbus.

P. Phœbus, Über den Leichenbefund bei der orientalischen Cholera, Berlin. 1833.

§. 139.

Ex phaenomenis omnibus tam in vivo, quam in cadavere attenta mente collectis, facile convincimur, cholera epidemicam morbum esse specificum ab omni alio huc usque descripto distinctum. Ut naturam ejus definire valeamus, oportet causam ejus crux; haec quidem nec hodie adhuc omni ex parte definita est; non obstantibus observationibus tam numerosis, viri tamen eruditissimi et experientissimi inter se valde dissentunt. Non pauci defendunt, morbum esse tantum contagiosum, et per solum contagium propagari, illud fuisse generatum in Asia, et quidem in India orientali, inde dein per commercium translatum fuisse in reliquas Asiae provincias, in vicinam Africam, tandem in Europam, et inde in Americam; defendunt suam sententiam argumentis historicis, quae probant morbum propagatum esse via illa, qua mercatores et exercitus progressi sunt sive in terra, sive in mari, dum loca alia ab iis haud visitata etiam a morbo intacta manserunt. Ita anno 1822, cum morbus jam in Persiam penetraverat, Princeps regnans prohibuit, ne mercatores iter suum per metropolim continuarent, vigiliisque sufficientibus constitutis coegit, ut in distantia viginti milliarium ab urbe progrederentur, et sede regia intacta morbus extendebaretur per viam novam. Ita etiam in Europa testantur observatores, morbum per homines propagatum fuisse; non raro assignant primum aegrum, primam domum, unde infectio dein late extensa fuit; quod per separationem strictam, aegri communicationem omnem impedientem morbus praecaveri possit; quod morbus in domum illatus facile communiceatur aliis, ut non raro integra domus extingatur; quod homines aegris auxilia administrantes, cadavera tractantes et sepelientes in morbum eundem incident, at nullum dubium relinquatur, morbum esse eadem ratione contagiosum, ac est pestis orientalis et morbus variolosus, quorum contagium etiam prima vice in Oriente generatum, et inde dein per orbem universum propagatum est.

Nec tamen per argumenta adlata de indeole contagiosa morbi convinci possumus, sed propagationem morbi sine contagio contingere nobis magis probabile est; scilicet in India quoque testantibus observatoribus medicis eximiis non fuit morbus ex uno loco in alium translatus, sed eodem fere tempore in variis locis observatus; eadem observationes in Europa repetitae sunt, nam in multis locis inquisitione omni diligentia facta detegi haud potuit, quomodo morbus enatus sit; in aegris ita ab invicem separatis, ut nullum prorsus commercium eum aliis haberent, morbus erupit; ita G ü n t h e r testatur, Viennae ubi in nosocomio amplissimo aegri ab aliis civibus omnibus separati prima vice morbo correpti sunt, in urbe noctu a 14 ad 15am Septembbris in multis domibus eodem quasi momento subito evolutum esse morbum, ut sequenti die jam cadavera numerosa terrorem incuterent sanis. Petropolis vigiliis triplicem in seriem coordinatis munita fuit, nemo peregrinus, nec Imperatore ipso excepto inimissus, nisi contumaciam quadraginta dierum subivisset, et tamen morbus subito erupit, et intra paucos dies plura centena enecuit; vigiliis et coarctationibus civium sublati morbus mitior evasit. Ita penetravit morbus etiam in Hungariam, licet limite naturali, montibus carpathicis et vigiliis munita fuisset. Prima vice observatus est morbus initio mensis Junii 1831 in hominibus tredecint, qui statim a commercio sanorum separati sunt, et tamen intra paucas septimanas morbus jam fere in universo regno extensus saeviebat. Multis observationibus apud nos factis constat, in eadem domo cum aegro cholera affecto habuisse commercium multos et tamen sanos permansisse. Medici et ministri Religionis adstiterunt aegris zelo humanissimo, et tamen pauci eorum in hunc morbum inciderunt; ipsae sectiones cadaverum summa diligentia institutae sunt, in primis Moscoviae, Viennae, Berolini, Regiomontii, Wratislaviae, Parisiis, nulli tamen prosectori vel adstantibus contagium communicatum est; plures medici audaces sanguinem et liquidum evacuatum

cholerorum sibi inocularunt, degustaverant, quin vestigia morbi vel minima comparerent.

§. 140.

Cum sententia, qua defenditur causam cholerae epidemicae esse solum contagium specificum, per observationes numerosas in Europa factas refutatur, nec a medicis in India comprobatur, alia causa excitans morbi hujus gravissimi tam late extensi exquiri debet. Epidemiae plurimae causam excitantem agnoscunt in constitutione peculiari atmosphaeræ, per quam generatur materia imponderabilis subtilis, instrumentis physicis haud coercenda, sed tantum ex influxu, quem exerit in corpus humanum vivum, observatori medico cognoscibilis; summa cum probabilitate statuimus, etiam cholerae epidemicae causam excitantem esse talem materiam subtilem, sub peculiari constitutione atmosphaerae generatam, vocamusque miasma cholericum, cuius praesentiam comprobant mutationes variae in ipsa atmosphaera observatae; in plurimis locis horis matutinis nebulae fuerunt densae et foetidae, foetorem singularem adnotaverunt in Russia observatores plures, referente Lichtenstadt; singularis foetor morbi eruptio- nem annunciat in pluribus locis Hungariae; pluviis majori copia cadentibus numerus aegrorum auctus est; morbus in primis evolutus est in illis locis, quae favent generationi miasmati febrilis, ubi atmosphaera vaporibus inquinata est, prope ad littora maris, fluvios et paludes, ita in Hungaria ad ripas Tibisci, Vagi, Danubii plurimi aegri observati sunt. Per defensores contagii propagatio morbi miasmati cholericici ope in atmosphaera evoluti negatur argumento illo, quod deberet tunc atmosphaera tota infecta esse, et ideo omnes homines et animalia deberent cholera affici. Atqui miasma per atmosphaeram non est ita distributum, ut tota inquinata esset; sed tantum per partes, ut hoc observamus in aliis mutationibus ejus; dum grando generatur, constitutio atmosphaerae ejus genesi faciet, nec tamen ubique grando est, idem de fulmine valet,

idem observamus de miasmate febris intermittentis, tussis convulsivae, catarrhi epidemici (influenza), dysenteriae; ita etiam observamus in corpore humano non raro in una parte organismi generari morbum contagiosum, parte reliqua sana persistente; ita etiam miasma cholericum non est per omnem atmosphaeram disseminatum, sed tantum in parte ejus aliqua; sic observavimus in una urbe, in una platea multos fuisse cholera correptos, dum in alia paucissimi fuissent; saepe in uno pago, in una domo grassabatur morbus, quin in vicinia vestigium ejus detegi posset.

Miasma cholericum evolvitur quidem maxime ad ripas fluviorum, nec tamen ad illas solas restrictum est, sed etiam remote a fluviis, imo in montium quoque cacuminibus vim suam noxiā manifestabat; in primis favet genesi miasmatis calor et humiditas, propterea aestate maxime propagatur, nec tamen per frigus destruitur, nam anno 1830 hyeme rigidissima mense Januario coepit in Orenburg saevire et Russiam extendi.

Ad generationem miasmatis hujus conferunt sine dubio mutationes magnae tam in sinu terrae, quam in sideribus ipsis contingentes, quorum influxum in conditionem atmosphaerae nostrae nullus observator in dubium vocabit. Nec tamen influxum hunc exsplicare valemus, nisi quis contentus sit nominibus chemismi, galvanismi ac magnetismi. In India quidem eruptionem morbi praecesserunt mutationes insolitae tempestatum, calores nimii, imbres copiosissimi, inde exundationes fluviorum et paludes, inde mutatio ipsis atmosphaerae, quae etiam in vegetabilibus, animalibus et hominibus se manifestabat. In Europa mutationes tam singulares haud contigerunt, sed probabile est, dum per processus naturae magnos in sinu terrae contingit mutatio, eam terrae longe lateque communicari, quemadmodum ictus electricus per conductores ad multa milliaria extenditur. Ita mutationes magnae tam in terra, quam in atmosphaera contingentes successive per seriem annorum jam celerius, jam lentius ultro extenduntur per processum vitalem proprium terrae et atmosphaerae. Miasmatis ex-

tensionem comprobavit et observatio illa, quod in multis locis pisces, in aliis locis pecora et altilia durante epidemia cholerica emortui sint. Miasma per constitutionem atmosphaerae peculiarem generatum perdurat aliquo tempore, in nonnullis locis tantum per duas usque tres septimanas, in aliis per sex septimanas, in aliis per plures menses, dein decrescit et subito cessat morbus. Si causa ejus solum contagium esset, cum adversus illud cordinationes factae fuisserent tantum, antequam morbus erupisset, illo comparente, etiam si magistratus non ubique agnovissent cordinationum suarum inefficaciam, per populum coacti fuerunt id agnoscere et removere, commercio restituto contagium debuisse semper magis magisque extendi, quod nequaquam accidit, cessante constitutione atmosphaerae peculiari miasmati generando favente cessavit etiam morbus.

§. 141.

Morbum summa probabilitate medica per miasma peculiare cholericum excitatum vocamus choleram Asiaticam, non propterea quod miasma in India generatum, per atmosphaeram ad nos translatum fuerit, quemadmodum nonnulli defendunt, contagium ex India per homines et merces ad nos delatum fuisse, sed quia mutatio peculiaris miasmati huic generando favens prima vice locum habuit in India, tam in terra, quam in atmosphaera, et haec mutatio terrae ac atmosphaerae communicata etiam apud nos effectum eundem habuit, morbum produxit Indico similem; eadem ratione febres intermittentes Europaeae, per miasma febrile generatae, sunt similes febribus intermittentibus Indicis, per miasma simile provocatis.

Neque tamen sufficit ad morbi genesim praesentia miasmati cholericici, sed requiritur dispositio in illum, quae per influxum atmosphaerae peculiariter constitutae in primis producitur, nam in multis locis jam ante eruptiōnem cholerae sanitas hominum vario modo laesa observata est; dyspepsiae, gastralgiae, enteralgiae, flatulentiae,

diarrhoeae, dysenteriae, febres gastricae, febres intermitentes, subinde cholericæ frequentiores redditæ sunt, etiam morbi alii saepius symptomatibus gastricis gravioribus complicati occurrabant. In multis locis ante eruptionem cholerae observatus fuit catarrhus epidemicus gravior, nomine influenzae notus, sed per paukas tantum septimanas durans; tunc morbi videbantur omnes silere per unum alterumve mensem, donec cholera subito erupit; morbo regnante dispositio in plurimis tantum gradu diverso sese manifestabat; aetas nulla exempta fuit, correpti fuerunt morbo et infantes, et senes decrepiti, plurimi tamen aegri fuerunt homines mediae aetatis; nec relate ad sexum magnam differentiam observare potuimus, in uno loco plures viri, in alio plures foeminae inciderunt in morbum; magna differentia fuit adnotata relate ad sortem civilem hominum, in plurimis locis homines miseri, egeni in morbum inciderunt, fortuna feliciori gaudentes plurimi intacti manserunt, nec tamen omnes, nam scimus et Principem Caesareum, et Ministros, et Belliduces celebres, et Archiatros, et plures fortuna magna circumdatos homines per morbum enecatos fuisse. Nec constitutio hominum induxit differentiam, non raro robusti citius morbo letali correpti sunt, quem debiles effugerunt, nec morbus alter defendebat contra cholera; observationes in nosocomio universali Vienensi per eximium Günther, similes Berolini ac Parisiis factae probant, aegros febribus continuais et intermittentiis, inflammationibus topicis, cachexiis et nevrosibus affectos in morbum incidisse. Ubique locorum docuit observatione, maxime praedispositos fuisse eos, qui excessus in Baccho et Venere fecerunt, licet exceptiones aliquae observatae fuerint. Longe maxima causa praedisponens morbi fuit metus et terror, qui jam longo tempore ante eruptionem morbi excitatus fuit per medicos, qui morbum ut maxime terribilem et frequentissime incurabilem descriperunt, et per coordinationes politico-medicas a magistratis scopo optimo institutas, quae animum civium minime erigere, potius deprimere valuerunt.

§. 142.

Dispositione praesente morbus provocatus fuit saepé per solum miasma cholericum, ita ut aegri nullam prorsus causam excitantem assignare potuissent, ad ejus influxum morbus provocatus esset; coloni plurimi dum in agris, pratis vel vineis labores suos consuetos perfecerunt, licet domum suam sani dereliquerint, morbo gravissimo correpti sunt, ut vix domum reverti potuerint, et non pauci illorum jam altero, vel sequenti die exstincti sunt. In casibus longe pluribus miasma provocavit tantum dispositionem ad morbum, qui excitatus fuit per aliam causam accedentem, et quidem saepe per refrigerium; hic observatum est, quod in navibus homines vesperi adhuc sani decubuerint, admisso refrigerio noctu correpti sint corrosionibus in cholera terminatis; ubique post tempestatem frigidam et humidam morbus magis extensus est; ideo aliqui medici, ut Leo Warsoviae morbum declaraverunt esse rheumatismum tubi alimentaris, alii vero, ut Wawruch catarrhum sensu latiori sumtum. Non raro evolutus est morbus post errores in diaeta commissos, post ingesta varia quantitate excessiva sumta, vel qualitate peccantia; statim ad exordium morbi terribilis in India Tytler derivavit ab oryza corrupta, ideo vocavit morbum oryzeum; in Galicia causam assignarunt aliqui secale cornutum cerealibus majori quantitate immixtum; nec dubium est, illas causas morbum provocare potuisse, qui saepe excitatus, fuit per carnes pingues, pisces, in primis corruptos, putridos, per fructos quantitate nimia ingestos, melones, cucumeres, aut vegetabilia alia corrupta, per potulenta spirituosa dosi excessiva hausta, vel non rite fermentata, per aquam nimis copiosam, vel quoquo modo destructam, non raro per pharmaca scopo prophylactico absumta, ut fuerint oleum destillatum chamomillae, tinctura chamomillae, oleum destillatum terebinthinae et alia. Subinde excitarunt morbum ad strictio magna corporis et mentis, vigiliae diu protractae, in primis animi affectus ingrati, subinde ira,

frequentius metus et terror; testantibus medicis ubique per coordinationes politico-medicas terrorem incutientes, per separationes civium violentas numerus aegrorum auctus est; non raro sola inspectio aegri cholera affecti in alio sano cundem morbum produxit, quemadmodum hoc observamus de oscitatione et de epilepsia, vocatur a nonnullis medicis contagium psychicum, per quod efficitur, ut non raro in una eademque domo plures post invicem morbo eodem correpti fuerint; per eandem causam, terrorem nempe accidit, ut non raro homines, qui aegris graviter decumbentibus opem tulerunt, frictiones perfecerunt, qui cadavera curarunt aut sepulturae interfuerunt in morbum inciderint, licet longe plura sint exempla, quod homines aegros in gravissimo morbo constitutos tractaverint, cadavera numerosa dissecuerint, vestimentis mortuorum usi sint, in lectum eorundem inquinatum decubuerint, quin morbi symptomata vel minima experti fuissent, quod haud contigisset, si corpus aegri vel cadaver cholericu semper contagium exhalasset.

Licet summa cum probabilitate medica asserimus, nec in corpore aegri cholera affecti, nec in cadavere, ac proinde nec in vestibus aut mercibus, quae in contactum venerunt cum aegro vel mortuo contagium specificum adesse, propterea tamen haud defendimus, aegrum aut cadaver cholericum nunquam contulisse ad morbum excitandum, non tantum per metum solum, sed physice per materia[m] corruptam. Imo vero convicti sumus, in non paucis casibus et aeger et cadaver illius causam excitantem morbi constituent, scilicet per exhalationem aegri cholericu, per liquida vomitu et alvo evacuata jam peculiari modo corrupta, per cadaver unicum, eo magis per plura accumulata, loco angusto conservata aër ita corrumpitur, ut homo adhuc relative sanus, sed per characterem epidemicum atmosphaerae jam praedispositus, post influxum aëris ab aegro aut cadavere corrupti in morbum incidat, atque tantum hoc respectu et hoc sensu potest cholera diei contagiosa.

§. 143.

Post actionem causae unius vel alterius excitantis in corpore per miasmatis influxum praedisposito evolvitur ipse morbus, de cuius causa proxima seu de statu illo abnormi, a quo omnia phaenomena morbi terribilis dependent, nonnisi cum probabilitate aliqua sententiam proferre valemus. Nonnulli, quemadmodum cholerae Europaeam vulgarem a bile corrupta repetunt, eandem causam cholerae epidemicæ assignant, asserentes, bilem peculiari modo corruptam, albam, quantitate excessiva secretam morbum provocare, quod tamen investigatio anatomico-pathologica refellit; nam in plurimis casibus reperitur cystis fellea bile spissa, flavo-fusca, nimis turgida. Alii observantes, in morbo epidemicō tam in India quam in Europa saeviente semper adfuisse spasmum, initio in suris, dein per reliquum corpus extensum, appellauunt morbum cholera m spasmadicam, causamque proximam defendebant esse ab affectione morbosa systematis nervosi, et quidem in specie medullæ spinalis. Licet spasmi terribiles universales medullæ spinalis affectionem indicare videntur, licet subinde per investigationem anatomico-pathologicam vasa medullæ spinalis sanguine atro turgidiora reperta sunt, tamen phaenomena illa singularia morbi, ex affectione illa sola intelligi haud possunt. Cum in hoc morbo sanguis semper peculiariter mutatus est, quantitate seri multum imminuta sanguis spissus, nigricans, piceus reperitur congestus in internis partibus, saepe in corde, cumque in aegroto vivente anxietas cordis peculiaris cum dolore ac palpitatione ejus locum habet, defendebatur, causam proximam morbi esse carditidem acutissimam, quae citissime transiret in paralysim. Sed nec per hanc opinionem explicari possunt omnia symptomata morbi. Ita opinio per Wawruch de promta, cholera esse catarrhum specificum late extensum provocatum per miasma specificum, ad cuius influxum in membrana mucosa organorum respirationis et tubi intestinalis secretio peculiariter morbosa contingat, tantum ali-

qua symptomata morbi explicat. Reich docuit, per actionem miasmatis tantum affici ventriculum et tubum intestinalem ita, ut seccernatur liquidum morbosum venenatum, cuius actione in nervos et sanguinem producuntur reliqua symptomata beneficio quam maxime analoga; non raro tamen sine tali secretione morbosa in ventriculo et tubo intestinali citissime evoluti sunt spasmi et paralyses aerum intra paucas horas enecantes. Ideo Casper defendit, miasma cholericum actionem suam principalem exerere tantum in integumenta communia, quae in omni aegro concipiuntur statim in statum summe abnormem, turgore evanido enascuntur rugae in facie et extremitatibus, initio cunctis pallent, mox in pluribus locis livescit, evadit insensibilis, circulatio in ea cessat, ideo nec per hirudines, nec per cucurbitulas cruentas sanguis evacuari potest; cutis implicata elevata sicut in cadavere remanet diutissime, lente tantum concidit, quae omnia indicant statum cutis fere paralyticum, et ob functionem ejus silentem evolvi reliqua morbi symptomata. Statum cutis eminenter abnormem esse in cholera negari nullo modo potest, imo confirmantur ex observatione in casibus felicibus facta, quod sub stadio decrementi sudor universalis calidus fere semper observetur; subinde exanthemata, in specie urticaria comparent; non raro desquamatio epidermidis contingit; neque tamen ex sola functione cutis impedita evolutio omnium symptomatum clara redditur.

Longe plurimi auctores post Loder causam proximam morbi collocant in systemate nervoso vitae organicae, in systemate ganglioso; nam in plurimis aegris jam ante evolutionem morbi, et sub acme ejus, et in decremente observantur turbae maximae organorum cavo abdominis et pectoris inclusorum, ipsa emeto-catharsis excessiva statum violentum convulsivum tubi alimentaris indicat; cum cor et vasa majora nervis providentur a systemate ganglioso, ideo etiam functio cordis et conditio sanguinis abnormes redduntur; aliqui defendebant, in cadaveribus vestigia inflammationis plexus coeliaci detecta fuisse, quod

famen investigatores plures exacti negant. Nec solius systematis gangliosi affectionem morbosam adesse, sed etiam nervos vagos, medullam spinalem, saepe ipsum cerebrum in statum morbosum conjectum esse omnia phaenomena indicant. Non sine ratione tuentur aliqui, in primis Sach's sententiam, cholera esse febrim intermittentein perniciosa algido-cholerica, quin tamen et haec sententia pro explicandis morbi phaenomenis sufficiat.

Ex observationibus hucusque institutis tantum resultatum illud deducere valemus, miasma cholericum relate ad suum influxum in organismum vivum esse summe analogum miasmati febris intermittentis, contagio typhi Europaei, pestis orientalis, et pestis flavae Americanae, et actionem suam noxiam exerere tam in nervos, quam in sanguinem ipsum, quin definire valeamus, contingat-ne mutatio prima in sanguine vel nervis, nam in morbo acutissimo eodem fere momento et sanguificatio et nervorum functio in statum summe abnormem conjiciuntur. Summa cum probabilitate determinatur actio miasmatis relate ad intensitatem et formam morbi per dispositionem individualem aegri, qua fit, ut morbus saepe tantum mitior evolvatur; in aliis autem ad morbos hypersthenicos praedispositis comparet cholera febrilis, per systema nervosum affectum provocantur reactiones cordis et vasorum sanguiferorum, ideo contingunt congestiones morbosae in cerebrum, pulmones et viscera abdominalia; in aliis ob dispositionem eminentem gastricam producuntur statim symptoma gastrica, evacuationes, in pluribus initio diarrhoea sola; in aliis ob dispositionem peculiarem tam systematis nervosi, quam haematophori contingit statim mutatio morbosae in nervis et sanguine, et tunc evolvitur cholera illa gravissima, quae asphyctica dicitur.

§. 144.

Morbus per momenta enumerata provocatus, relate ad periculum, in quod aegrum conjicit, non sine fundamento resertur ad pestes; in Asia jam plures millions, in Euro-

pa plura centena millia hominum trucidavit; calculos quidem exactos nedum possidemus, sed e relationibus officiosis morbi indolem perniciosa intelligimus. Sic in Asia secundum Moreau de Jonnès spatio quatuordecim annorum numerum mortuorum assignat ad octodecim millions. Moscoviae incepit morbus 16ta Septembris 1830, et excurrit usque 6tam Januarii 1831, quo tempore ex aegris 8156 consanati sunt 3597, mortui autem 4410. Leopoli incepit morbus 22da Maji et duravit usque 24tam Septembris 1831, atque ex aegris 5013 consanati sunt 2392, mortui 2621. In tota Gallicia usque finem anni 1831 aegrorum numerus excurrebat ad 260,000 e quibus consanati sunt 162,273, mortui 97,770. In Hungaria a 13tia Junii 1831 usque 12mam Aprilis 1832 fuerunt aegri 538,339, e quibus consanati sunt 298,541, mortui 237,408. Pestini incepit morbus 13tia Julii, cessavit 6ta octobris 1831, erantque aegri 2459, e quibus sanati sunt 920, mortui 1539. Petropoli incepit morbus 26ta Junii et duravit usque 17mam Novembris 1831, aegri numerati sunt 9246, e quibus consanati 4488, mortui 4758. Viennae incepit morbus 14ta Septembris 1831, et excurrit usque 3tiam Februarii 1832, aegri fuerunt 4124, ex iis sanitati restituti 2146, mortui 1971, Pragae incepit morbus 28va Novembris 1831, et excurrit usque 14tam Martii 1832, numerabanturque aegri 3447, e quibus consanati sunt 1997, mortui 1416. In Borussia fuit morbus mitior, nam usque finem Januarii 1832 numerabantur aegri 52,773, e quibus mortui sunt 30,927. Berolini incepit morbus sub exordio Septembris 1831, et duravit usque 18vam Januarii 1832, aegri fuerint 2261, e quibus consanati sunt 834, mortui 1420. Regiomontii incepit morbus 22da Julii, et duravit usque 18vam Novembris 1831, aegri fuerunt 2126, consanati 826, mortui 1275. In Anglia incepit morbus 26ta Octobris 1831, et usque 18vam Aprilis 1832 numerabantur aegri 10,640, e quibus mortui sunt 4132. Londini incepit morbus 11ma Februarii, et duravit usque 21mam Aprilis 1832, aegri fuerunt 2492, e quibus mortui 1309. Parisiis incepit morbus 22da

Martii et usque 28vam Aprilis 1832 numerabantur, in nosocomiis mortui 12,697, in urbe tota 25,000.

Mortes numerosae, quarum calculum exactum adhuc exspectamus, satis evincunt indolem perniciem cholerae epidemicae; quotiescumque morbus statim ad exordium gravissimis stipatus symptomatibus, formam cholerae asphyctiae exhibuit, in longe plurimis casibus morte terminabatur, non raro jam spatio paucarum horarum, saepe mors supervenit die morbi secundo aut tertio, subinde septimo aut nono. Dum cholera erethistica fuit, non raro per autocratiam naturae solam sanitas restituta est; differentiam in prognosi observavimus relate ad constitutiones aegrorum; ita qui morbis affecti fuerunt organicis systematis nervosi, vel cordis, vel organorum digestionis et chylificationis, ut maniaci, cardialgiis subjecti, hi in periculum majus conjecti fuere; in gravidis produxit facile abortum atque mortem, non paucae tamen partu peracto convaluerunt. Maxime periculosus fuit morbus infantibus; sic Vienae referente Grünther in nosocomio universalis ex 109 infantibus hoc morbo correptis, non obstante omni auxilio adhibito, tantum duo salvari poterant, 107 demortuis; decurritque morbus in infantibus peculiari modo, frequenter incepit horis matutinis cum inquietudine et anxietate magna, subito cessarunt sanguis, correpti vomitu et diarrhoea serosa, mox fontanellae collapsae sunt, oculi sanguidi sine nitore, annulo livido cincti, facies rugosa et livida, cutis et musculi flaccidi, tardius accessit frigus oris et extremitatum, vagitus tristis, spasmi palpebrarum, labiorum oris et extremitatum, tunc vomitus et diarrhoea imminentebantur, et plarimi die morbi quarto mortui sunt; subinde accesserunt sopor, aphthae oris, vesiculae parvae circa labia, area rubra circa alas nasi, rubor palpebrarum, gangraena umbilici. In plurimis adultis et infantibus mors contingit in acme morbi. Qui stadium morbi cholericum superarunt, non semper sanitatem recuperarunt; non pauci sub stadio reactionis per sanguinis congestionem nimiam in encephalon aut pulmones inductam apoplectice vel

suffocati extinti sunt, non pauci sub hoc stadio reaktionis in febrim acutam cum charactere nervoso jam torpido, jam erethistico, jam nervoso-septico, jam gastrico-nervoso inciderunt, quae febris saepe morte terminabatur. Non raro phaenomenis febris evanidis remanserunt debilitas chronica, gastralgie, enteralgia, vomiturito, vomitus, diarrhoea, singultus, tussis, dyspnoeae, sensum debilitates, facultatum intellectualium, in primis memoriae labefactatio, furunculi, convulsiones, paralyses, deliria etc. Qui exitus funesti subinde per therapiam rationalem feliciter impediti sunt.

§. 145.

Therapia cholerae duplex est, alia prophylactica, alia curativa. Cum observationes docuissent, morbum horribilem esse exoticum, in India orientali generatum, inde successive propagatum, ideo Europaei conatus omnes adhibuerunt ad hospitem novum a se arcendum; cum opinio communis fuissest, morbum non secus ac pestim et variolas etiam ex Oriente adlatas per contagium propagari, ideo opinio publica erat, dummodo commercium omne inter Asiam et Europam interrumperetur, per coordinationes politico-medicas morbum terribilem successu eodem arceri posse, ac pestim orientalem. Observationes tamen docuerunt mox, coordinationes medico-politicæ magnis sumtibus et cum summa civium molestia executioni datas, fuisse inanes, propagationem morbi non tantum non impedivisse, sed potius auxisse. Hufeland refert, morbum Berolini late extensem urbibus vicinis, quibuscum commercium continuum sustentabatur, non fuisse communicatum, sed in distantia viginti milliarium Magdeburgi, nullo commercio existente, morbum erupisse, quales observationes plures in Hungaria institutæ sunt; etiam Pestini institutum publicum oppignoratorium tempore cholerae epidemicae nullo die fuit clausum, merces continuo adlatæ et iterum aliae ablatae sunt, et tamen aeger nullus in domo illa observatus est; ideo coordinationes illæ politico-medicae in singulis

locis factae, per quas locus singulus eingebatur, domus, in qua aeger vel mortuus decubuit, ab omni commercio cum aliis clausa retinebatur, quemadmodum et sepulturae a more consueto recedentes, horrorem incutientes, superfluae, inutiles et noxiae fuere; nam per ideam illam communem contagii metus excitabatur nimius, homines se invicem fugerunt, aegrotanti socio auxilium necessarium ferre recusarunt, dum lucri cupidi occasionem nanciserentur, proponendi varia remedia prophylactica, quorum ope contagium destrui et corpus contra actionem ejus immune reddi posset. Maxime commendabatur per ipsa collegia medicorum chlorium ita, ut jam fabricae vix sufficerent remedium sufficienti quantitate subministrare, donec observatio docuisset, hoc remedium, contra pestim et typhum contagiosum laudatum, nihil prodesse contra choleram epidemicam; nam non pauci vapore chlorii continuo circumdati in morbum inciderunt et occubuerunt; referuntur exempla aegrotorum a solo vapore chlorii suffocatorum, in nonnullis tusses violentae, peripneumoniae, pneumonorrhagiae, in aliis vertigines, temulantiae, cephalaeae intensae provocatae sunt.

Ita nec alii vapores aut fumi utilitatem quamdam habuere. Hahnemann contagium docuit esse animatum, insecta minima prima vice in India generata, successive multiplicata per atmosphaeram ultro delata esse, ea efficacissime destrui per camphoram, ideo ut remedium infallibile commendavit vapores camphorae; multi in Hungaria consilium viri celebris sequebantur, donec experti fuerant inter vapores densos camphorae choleram letalem evolutam esse. Nihilominus defensores opinionis suae invenit Hahnemann etiam in Anglia, et per mercatores industrioso vendebantur pulveres errhini anticholerici, cuius usu insecta illa perniciosa dispelli possent. In multis locis vendebantur linimenta, pallia et manicae anticholerica.

Ad remedia prophylactica rationalia pertinuit:

Imo cura puritatis aëris; observatio enim docuit, in aëre corrupto, exhalationibus diversis inquinato, miasma

cholericum facilius generari; ideo oportet curam maximam impendere conservandae munditiae, omnia aërem inquinare valentia sollicite removere, ventilationem cubiculorum nullo die intermittere; huic curae munditiae tribuimus in primis, quod in Anglia, in specie Londini morbus tam parum extensus fuerit. Pro fumigationibus maxime convenit vapor aceti.

2do Sustentari debet conditio normalis organorum digestionis et chylicationis per alimenta et potulenta tam bonae qualitatis, quam justae quantitatis; nam per statum abnormem ventriculi et tubi intestinalis inducitur dispositio per influxum miasmatis facile cholerae evolvens. Non est quidem necesse a diaeta consueta recedere, sed errores per observationem jam antea detecti nunc magis scrupulose vitandi sunt, ut ingurgitatio nimia alimentorum et potulentorum, etiamsi optimorum, sed vires ventriculi excedentium; magis adhuc nocent alimenta corrupta, dura, pinguia, fructus immaturi etc. Propterea cura magistratus publici major necessaria est tempore cholerae epidemicae de annona, ut cives singuli alimentis et potulentis bonae qualitatis provideri possint; observatio enim docuit, morbum in primis saevire inter pauperes, qui cibis parcis et illis malae indolis utuntur, munditie omni neglecta ad habitationes angustas coarctati sunt; ibi facile per exhalationes aëris corruptum, eo magis si unus eorum morbo corruptus, atque tunc per aërem corruptum, non per contagium morbus in alios quoque propagatur.

3to Quia causam unam excitantem morbi constituit efrigerium, cives admonendi sunt, ne refrigerium admittant; non est quidem necesse continuo sudare, in lecto jacere et tempore etiam aestivo cutim universam panno calido obtegere; tantum per vestitum idoneum jam consuetum, anni temporis accommodum occasio evitari debet refrigerii, in primis cura convertenda est in pauperes, ne cogantur se frigori nimio exponere.

4to Omnia, quae vires corporis aut animi valde intendunt, nocent, et non raro causam excitantem morbi con-

stituunt, ideo exercitium tantum moderatum facultatum tam somaticarum, quam psychicarum commendamus, excessum omnem, ita etiam eum in Venere omnibus dissuademus.

5to Causa excitans frequens cholerae fuit metus et terror, quidquid ergo hunc animi affectum ingratum, corpus et animum paralysantem inducere valet, illud cura publica arceri debet; per medicos animus hominum erigendus, confidentia in artem Hippocraticam divinam excitanda et angenda; propterea in occupationibus civium, in commercio mutuo, in animi recreationibus publicis consuetis nulla impedimenta poni debent, nam illa nihil profuerunt, potius manifeste nocuerunt. Ita ex observationibus in tota Europa factis relate ad prophylaxim resultatum deducimus, ad sanitatem hominum conservandam, et contra cholerae defendendam nihil praeter ea requiri, quae ratio et experientia suadet ad sanitatem secus etiam conservandam; pharmaca omnia prophylactica inutilia, imo saepe saepius noxia fuerunt.

§. 146.

Non tantum in prophylaxi, sed etiam in morbi evoluti cura indefessi fuerunt conatus medicorum, iam ab anno 1817, ut detegerent therapiam contra morbum terribilem maxime adaequatam; pharmaca multiplicia, methodi diversae mox nimis laudabantur, mox iterum vituperabantur, quam diversitatem opinionum de natura morbi et de therapia ejus inde explicamus, quod morbus relate ad constitutionem individualem aegri, relate ad constitutionem endemicam et epidemicam, et relate ad influxus, quibus aeger expositus fuit, diversas subeat modificationes, quae etiam diversam requirunt therapiam; methodus una specifica pro omni aegro cholera affecto proficia non datur. Sed per therapiam statui individuali aegroti accomodam saepe aeger sanitati restitui potest, tantum cholera asphyctica, paralytica vel apoplectica dicta, aegrum intra paucas horas enecans, in plurimis casibus artis conatus omnes eludit, sed talis intensa species morbi rarer est. Longe frequentius

occurrit cholera mitior, quae non raro per solam autocratiam naturae feliciter sanata fuit, eo magis per therapiam rationalem, quae pro charactere individuali morbi variat.

In multis casibus praedispositione praesente morbus per refrigerium provocatus habuit characterem rheumatico-catarrhalem, ideo a Wawruch pro specie catarrhi pneu-mogastrici, *influenzae* simili declaratus fuit, atque in hoc casu methodus diaphoretica cum utilitate adhibita est; aeger imponitur statim lecto moderate calido, involvitur pannis calefactis, exhibetur illi infusum tepidum florum sambuci vel chamomillae, vel tiliae, vel herbae melissae, menthae crispae, piperitae, vel herbae chenopodii ambrosiodis; non pauci sudore moderato subsecuto, eoque per unum alterumve diem sustentato, a morbo omni liberati sunt. Saepe in cholera mitiori adfuit diarrhoea cholérica, non raro etiam vomitus et spasmus dolorificus surarum, sed in gradu tantum mitiori ita, ut nec cyanosis, nec febris valida, nec pulsus evanidi observati fuerint, tunc symptomatibus post usum diaphoreticorum haud remittentibus, saepe profuit opium solum dosi parva exhibitum, tincturae opii simplicis gutta una—tres, omni hora vel omni bihorio in infuso tepido aromatico, frequentius profuit opium cum ipecacuanha, ana granum unum, sacchari albi drachmae duae, divide in duodecim partes aequales, omni hihorio unus pulvis sumatur, infantibus unam quartam partem dosis indicatae dedimus. Non raro profuit ipecacuanha sola, in pulvere granum unum, duo pro nycthemero, vel in mixtura, pulveris radicis ipecacuanhae granis 8, 10—12 infundebantur aquae fervidae unciae sex, colatura addebatur syrapi papaveris albi uncia semis, cum signatura omni bihorio duobus cochlearibus detur. Casper maxime laudat spiritum Mindereri, omni bihorio uno cochleari sumendum. Non paucis profuit camphora dosi moderata exhibita; Hahnemann maxime commendavit spiritum vini camphoratum, ut ejus guttae duae, tres sumantur omni quinto minuto in infuso calido; sed sufficit remedium hoc potens omni secunda vel tertia hora sumere,

parva quantitae, subinde in connubio cum tinctura opii. Nonnullis sufficerunt liquoris anodynī mineralis, tincturæ corticum aurantiorum guttae tres—decem, omni secunda vel tertia hora cum infuso aromatico tepido. Ubi ad applicationem remediorum blandiorum diarrhoea, vomitus et reliqua morbi symptomata non remittunt, ibi ad efficaciora recurrendum est; interne maxime laudatur a Sachs initio tinctura valerianaæ aetherea cum tinctura thebaica ana guttae decem in saccharo, dein vero sub stadio cholericō tinctura valerianaæ aetherea omni media vel omni hora guttae 10, 15—20 cum saccharo contuso alternatim cum aethere vitrioli camphorato; simul adhiberi debent externa remedia, functionem cutis suppressam restituere valentia: calor externus major, vel siccus per pannos calidos, tegulas calidas, arenam, cineres, salem communem calefactos et diversis partibus corporis applicitos, ubi fieri potest semi-cupum tepidum 25—30 graduum. In tali cholerae gradu mitiori potuit applicari, et profuit balneum vaporis.

§. 147.

Methodus diaphoretica non potuit omnibus, cholera licet mitiori affectis prodesse, quia natura morbi individualis saepe saepius alia fuit; non raro cholera excitata fuit per ingesta varia, alimenta, potulenta, pharmaca, et saepe per constitutionem individualēm aegri, gastricismo faventem, et per influxum aëris peculiari modo corrupti producta fuit cholera gastrica, functio tubi alimentaris statim eminenter laesa, secretio morbosa provocata, et saburra causa morbi ulterior sustentans fuit. In hac specie cholerae stricto sensu gastricae maxime indicata fuit evacuatio saburrae, atque non raro pharmaca alvum purgantia, infusum rhei aquosum, vinosum, in nonnullis etiam purgantia salina et senna utiliter adhibita sunt; in Hungaria referuntur per medicos multæ curae felices purgantium operactæ; apud multos aegros cum levamine magno vermes intestinales copiosi evacuati sunt; quod tamen etiam sine usu purgantium contigit, ideo Sachs non sine ratione

adnotat, cholera esse anthelminthicum efficacissimum. Saepe tamen purgans medicina minime proficia, manifeste noxia fuit; longe frequentior fuit indicatio pro emeticis, quorum virtutem magnam observationes copiosae in tota Europa et in primis in Hungaria factae comprobant; sub morbi exordio exhibitum emeticum non raro ulteriore evolutionem morbi impedivit; exhibitus fuit ipecacuanhae scrupulus semis, unus, omni media hora, donec emesis secuta fuisset; subinde evacuantur initio ingesta cruda, dein bils, sequebatur alvi evacuatio biliosa, sudor, et morbus indicatus fuit. In defectu ipecacuanhae tartarus emeticus adhibitus est, cuius usum multi scriptores dominant, sed in Hungaria multis millenis hominibus exhibitum fuit hoc pharmacum successu felicissimo, qui etiam Berolini observatus fuit; Reich ut remedium efficacissimum commendat contra omnem cholera statim sub exordio, et quidem praescribit tartari emetic serupulum unum, solve in aquae uncis octo, adde syrapi communia unciam semis, omni bihorio uno cochleari detur; initio inquit, sequitur emesis, dein alvus biliosa, dein emeticatharsis silet. Alii collegae ejus exhibuerunt tartari emetic serupulum semis, aquae uncias sex, omni media hon uno cochleari; donec emesis larga secuta fuisset. Referente Lichtenstädt in Russia Petropoli utiliter adhibuerunt salem communem, cuius uncia una solvebatur in aquae uncis sex et cochleatim porrigebatur aegro, effectum similem habuit emetico.

Non raro in cholera mitiori ad morbi evolutionem ulteriore impediendam utiliter exhibebantur alcalia, soda, sal tartari, lapides cancerorum, magnesia usta, quae pharmaca maxime laudavit Sertürner, quia in morbo supposuit adesse degenerationem eminentem acidam; hic frequenter praescripsimus magnesiae ustae serupulum unum, elaeo-sacchari foeniculi drachmam unam, divide in octo partes aequales, omni trihorio unus pulvis sumatur, et superbibat aeger infusum tepidum e floribus chamomillae vel tiliae, vel herbae melissae etc. Aliis, qui per plures dies

experiebantur anxietates, cordis palpitationes, calores fugaces, tenuientiam capitis, commendavimus succum citri cum aqua et saccharo, acidulas gratas, acidum tartari cum bicarbonate sodae, acida mineralia diluta; in primis liquorum acidum Halleri ad guttas triginta in aquae saccharatae vel decocti emollientis libra una, ut omni biberio medio vasculo coffeaceo sumatur, et non una vice his paucis pharmacis prodroma morbi ominosi dissipavimus.

§. 148.

Saepe tamen methodus hucusqus laudata contra cholera etiam mitiorem inutilis fuit, quia morbus in subjectis debilibus, constitutione nervosa, hysterico-hypo-chondriaca praeditis per influxum miasmatis et per metum ac terrorem provocatus characterem nervosum exhibuit, tunc nec diaphoretica sola et minime evacuantia gastrica effectum salutarem exerunt, sed remedia nervina cauta manu administrari debent, ut calor externus moderatus, infusa aromatica, melissae, menthae, foliorum aurantiorum, herbae chenopodii ambrosioidis, radicis valerianae sylvestris, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, tinctura corticum aurantiorum, camphora dosi parva, camphora aethere vitrioli soluta, tinctura valerianae aetherea, spiritus cornu cervi, tinctura castorei, opium, subinde magisterium bismuthi et flores zinci, ipecacuanhae doses parvae, moschus; narcotica, ut extractum cicuta, belladonnae. In hac specie cholerae mitioris cum charactere nervoso cura peracta est non raro per solum vitae regimen rectum, in primis si metu omni dissipato confidentia aegri excitata fuit, ideo etiam therapia secundum principia homoeopathiae suscepta per infinite parvas doses eupri, veratri albi, radicis bryoniae, belladonnae, rhus toxicodendri, etc. potuit effectum salutarem habere.

§. 149.

Saepe ob habitum aegri plethoricum, ob dispositionem peculiarem aegri, vel ob genium epidemiae regnantis, vel

quod potentiae nocentes stimulantes in aegrum egerint, in ipsa cholera mitiori observantur congestiones sanguinis majores, jam in caput, jam in pectus, jam in abdomen, quibus nisi occurratur, facile status inflammatorius exortatur, dicitur cholera congestiva, subinflammatoria, atque in tali casu necessaria est sanguinis evacuatio, non tamen profusa, licet vir magnae auctoritatis Kieser commendet omnibus, in quibus prima prodroma cholerae locum habent, statim sanguinem e vena ad libras duas usque tres evacuandum esse. In India quidem partem curae praecipuam constituit sanguinis evacuatio; Burriel e centum aegris cholera affectis venae-sectionem instituit in octuaginta octo, e quibus quatuor mortui sunt, duodecim aegros sine phlebotomia tentavit curare, ex iis decem mortui sunt. Successu felici instituta fuit venae-sectio subinde etiam in Russia, in Hungaria, et in reliqua Europa, minime tamen adhibenda in omni aegro; nam observatio docnit in multis locis, quibuscumque vena secta est, morbi eripi haud potuisse; et dum sanguinis evacuatio indicata est, apud nos tam profusa ac in India nunquam fuit necessaria; sufficit sanguinis uncias sex usque libram una evacuasse, et saepe nulla est necessitas sanguinis evacuationem universalem instituendi, per topicam scopum nostrum assequimur; pro ratione congestionis jam ad regionem epigastricam, umbilicalem, jam ad pectus, jam ad regiones temporales, vel nucham applicamus hirudines vel cucurbitulas cruentas. Post sanguinis evacuationem saepe in hac specie cholerae congestivae profuit calomela, quod tamen pharmacum non exhibemus dosi illa magna, qua Angli medici utuntur; illi nempe praescribunt calomelis scrupulum unum, omni secunda vel tertia hora, donec evacuatio alvi biliosa secuta fuisset, et quia calomela tanta dosi porrecta saepe vomitu rejicitur, ad singulam dosim adjungunt opii granum unum, duo, tria, referuntque aegros non raro post unam alteramve dosim absuntam incidisse in somnum, sub quo erupit sudor largus, et postquam evigilassent, nulla symptomata morbi observata sunt;

atque docente M. Good haec tria remedia: sanguinis evacuatio, calomela et opium in India contra choleram epidemicam ita profuerunt, ut in uno loco e centum aegris tantum quatuor, in alio e centum aegris tantum unus mortuus sit. Summa cum probabilitate cholerae illae fuerunt tantum mitiores, quales etiam apud nos sanantur, sed in morbo intensioni therapia difficilior est, et pro singulo casu individuali debet therapia rationalis per ingenium medici determinari.

§. 150.

In morbo statim ad exordium symptomatibus vehementibus stipato adhuc majori studio natura individualis in singulo stadio definiri debet, ut therapia rationalis adhiberi possit; dum in morbo evoluto ex pulsu frequenti, capitis temulentia magna, acsi homo inebriatus esset, ex palpitatione cordis, calore majore, inprimis capitis, ex ardore saepe intolerabili in regione epigastrica, vel umbilicali, vel pectore, siti insatiabili, ex constitutione aegri individuali et ex genio morbi epidemici, summa cum probabilitate medica ad congestionem sanguinis majorem sive in encephalum, sive in medullam spinalem, sive in cor, pulmones, vel viscera abdominis concludimus; tunc in tali casu sanguinis evacuatio est indicata, quae tam universalis, quam topica felici successu instituta est in Russia, Hungaria, Viennae, Berolini et in reliqua Europa. Congestione sanguinis haud majori existente, sed tamen indubia, evacuatio sanguinis topica cœcurbitularum cruentarum vel hirudinum ope jam sufficiens est.

§. 151.

Saepe post sanguinis evaenationem factam symptomata morbi, scilicet spasm dolorifici, vomitus et diarrhoea intenses evadunt; saepe symptomata congestionis sanguinis energiae nulla adsunt, ideo sanguinis evacuationes saepe noxiae erant, cholera asphyctica evoluta morbus incurabi-

Nis redditus est; propterea in tali casu sanguinis evacuandis omnis maxime contra-indicata est; per actionem miasmati specifi ci systema nervosum, in primis ganglionum peculiari modo afficitur, et citissime abnormes redduntur functiones cutis, tubi alimentaris, cordis, vasorum haematophororum et pulmonum, ideo curam dirigimus ad functiones has restituendas, et hoc scopo commendant omnes observatores calefactionem et irritationem cutis; calor quidem externus plurimum prodest, cavendum tamen ne nimius sit, congestiones noxias provocare valens; applicatur frequentissime calor humidus, balneum, semicupium, cui aeger imponitur usque ad umbilicum, subinde usque ad collum, non raro sub usu balnei sudor moderatus erumpit, spasti disparent, pulsus arteriarum elevantur, vomitus et diarrhoea cessant; non raro ad virtutem balnei augendam addimus herbas aromaticas, post Thilenius alcali vegetabile causticum, cineribus nempe clavellatis admiscemus calcem vivam, debetque aeger balneo lixivioso insedere per medianam aut integrum horam, donec in cuti excitetur sensus ardoris. Magis adhuc laudatur balnenum vaporis ex aqua et aceto, atque pro ejus applicatione apparatus varii propositi sunt rarissime tamen adhibiti, nam aegri morbo gravius correspici sudore distinunt et tamen rigidi manent sicut cadaver; tamen in morbo mitiori hoc balneum adhiberi potest, et tunc apparatus peculiaris necessarius non est, aeger imponitur sellae foraminibus pertusae, vel si sedere non valet, imponitur lecto, in quo loco asserum lora vel ligulae adstant retis instar composita, infra aegrum collocantur ollae cum herbis aromaticis, ut floribus sambuci vel chamomillae, quibus adfunditur aqua bulliens cum vino, aceto vel cremeato, aeger obtigitur linteamine et sic totum ejus corpus pervadit cito vapor; vel tegulis calefactis vel ferro candenti tegulis imposito adfunditur acetum vel vinum, et sic vapor evolvitur. Licet balneum vaporis per multos commendatum fuerit, tamen rarissime adhibitum est, quia adhibitum rarissime profuit, sed calfactio corporis perficiebatur saepe per urceulos, lagenas, receptacula varia me-

tallica aqua calida repleta, saepius adhuc profuit calor sicus, adhibendo pannos calefactos vel sacculos arena, cineribus, sale, herbis aromaticis calidis replétos.

§. 152.

Remedium alterum functionem cutis resuscitare valens est frictio, cuius ope et spasmi molesti dissipantur, et calor animalis excitatur; maxime efficax est frictio instituta manu nuda hominis sani et robusti, quae tamen rarius adhiberi potuit, sed in usum vocabantur panni asperi (*Flanel*) e quibus manicae confectae sunt, setacea mollia, imo etiam aspera. Ad augendam virtutem frictionis adhibebantur acetum, vinum, crematum, calida quibus immiscebantur varia. Sic Hahnemann maxime laudavit spiritum vini camphoratum, Leo spiritum angelicae compositum; magnam celebritatem habuit linimentum Bochniae adhibitum: spiritus vini fortis libra una, aceti fortis libra semis, camphorae, farinae seminum sinapis ana uncia semis, piperis contusi, pulveris cantharidum ana drachmas duas, allii contusi cochleari uno coiffeaco magno; haec in lagena mixta exponantur soli per duodecim horas, et saepius agitentur. Blumenthal Cracoviae lotionem descriptsit anticholericam, quae componitur etheriacae drachmis tribus, acidi nitri diluti unciis duabus, olei terebinthinae unciis tribus, mellis despumati uncia una, spiritus vini rectificati unciis sex. Sertürner maxime commendat spiritus salis ammoniaci caustici, olei destillati terebinthinae ana uncias undecim, tinturae opii unciam unam. Medici nosocomii choleric Pestensis maxime laudant tinturam cantharidum, euphorbii, capsiei annui, piperis nigri, olei terebinthinae ana unciae duae, quae tamdiu inungebatur, donec cutis rubeficeret. Nonnulli etiam phosphorum adhibuerunt. Plurimi tamen observatores testantur linimenta diversa quantumcunque laudata inutilia, imo noxia fuisse, in primis si cutis derasio et exulceratio producta fuit, tunc sub stadio reactionis dolores intensi, furunculi molesti, non raro gangraena subsequebantur; in longe plurimis profuit frictio simplex moderata in plantis

pedum, suris, femoribus, dein extremitatibus superioribus, in dorso, per longitudinem spinae dorsi, atque in abdomine.

§. 153.

Tertium remedium habuimus in epispaticis, quae virtutem magnam exeruerunt, tam ad functionem cutis restituendam, quam antagonistice ad irritationem tubi alimentaris inminuendam. Subinde adhibitum fuit emplastrum cantharidum, rarius tanquam vesicans, quia tunc ulcer latum et molestum facile nocuit; magis profuit ut rubefaciens, quo scopo frequentius usi sumus sinapismo e farina seminum sinapis nigrae cum aceto vel cum aqua fervida, imponimus que frequentissime abdomini, subinde extremitatibus. In defectu sinapismi prosunt etiam alia rubefacientia, ut cochlearia armoracia rasa, cui admiscemus subinde salem communem, vel pulverem capsici annui, vel piperis nigri, inspergimus pastae e furfuribus vel farina secalis factae, et calefacta obtegitur abdomen totum. Non raro adhibita sunt etiam alia epispastica, ut tintura cantharidum, acidum nitri concentratum abdomini illinitum. In India ferro candente aduruntur plantae pedum; Schnurrer maxime commendata moxam in regione epigastrica comburendam; nonnulli sedem morbi principalem in medulla spinali quaerentes, moxam nitri que lateri spinae dorsi imposuerunt, Casper laudat moxam citissime parandam, linteum molle duos tresve pollices latum et complicatum ad altitudinem unius alteriusque pollicis, praevie madefactum cremato vel spiritu vini imponitur regioni epigastricae, et ope cereoli acceditur; dum deflagra cutim potenter irritat.

Parisiis ex consilio Petit spinae dorsi imponebatur fascia e panno (*flanell*) sex pollices lata, liquore ex oleo te-rebinthinae uncia una et spiritus salis ammoniaci caustici drachmis duabus composito impraeognata, quae obtegebatur fascia linea aqua calida madefacta, et dein ferro calido frictio moderata instituta est, donec liquidis evaporatis fasciae seccatae fuissent, et hoc repetebatur omni hora, donec reactio locum

habuisset. Subinde eximum effectum praestiterunt eucurbitulae venjosae regioni epigastricæ et umbiliçali adplicatae.

§. 154.

Irritamenta cutis potentia a multis valde laudata sunt, tamen in rarissimis casibus profuerunt; in cholera enim erethistica, praeter calefactionem corporis moderatam, frictionem et sinapismos alia externa remedia vix fuerunt necessaria; sed ad interna recurrendum erat, ut status abnormis tubi alimentaris tollatur, functio cutis et reliquarum partium organismi restituatur. Dum cholera erethistica etiam eminentior excitata fuit per ingesta, tunc sub stadio invasionis emeticum fuit utilissima medicina, et quidem ipecacuanha ad scrupulum unum omni media hora, donec emesis subsecuta fuit. Sed emeto-catharsi jam profusa praesente, dumque causa excitans morbi non ingesta, sed refrigerium vel contagium psychicum, metus, terror fuit, ibi remedia nervina magis indicata fuerunt, propositaque sunt varia: camphora, valeriana, aether vitrioli, praeparata ammoniae, magisterium bismuthi, flores zinci, olea aetherea, nt chamomillæ, menthae piperitæ, cajeput, moschus, etc. Aliqua composita sibi peculiarem famam meruerunt; ita testatur **Bastler**, **Viennæ** a se plurimos sanatos fuisse essentia anticholerica, composita ex olei cajeput, juniperi, anisi ana scrupulo uno, liquoris anodynæ mineralis drachma una, tinturae cinnamomi drachmis duabus, liquoris acidi Halleri guttis quinque, ex qua in morbo mitiori guttas quinque, in graviori guttas 10—20 exhibuit omni quadrante, vel omni media hora, donec reactio subsecuta est. **Sinowitz** Dantisci felici successu adhibuit tinturam a **Hoppe** commendatam, compositam ex acidi nitrosi drachma una, tinturae opii guttis quadraginta, mixturae camphoratae uncia una, omni bihorio sumatur uno cochleari cōsseaceo in phiala mucilaginis hordei, post doses duas—quinque sequebantur symptomata reactionis. **Schaeffer** maxime laudat tinturae castorei, tinturae valerianæ aethereæ, tinturae thebaicæ, liquoris cornu cervi succinati anā drachmam unam, omni

hora guttae viginti sumantur in infuso aromatico tepido post tertiam quartamye dosim reactionem provocatam fuisse testatur. Hahnemann maxime commendavit spiritum vi ni camphoratum, ut omni quinto minuto guttae duae, tres porriganter. Lichtenstadt refert, Petropolis utiliter ad hibitum fuisse phosphorum, cuius grana duo solvebantur in aetheris vitrioli drachma una; addebatur olei aetherei foeniculi scrupulus, et omni media hora vel omni hora guttae 10—15 exhibebantur. Regiomontii maximam utilitatem experti sunt medici a tinctura opii, quae alternatim exhibebatur sub exordio morbi cum tinctura valerianae aetherae, omni secunda hora ad guttas decem in saccharo; sub studio autem cholericu[m] exhibita fuit tinctura valerianae aetherae, alternatim cum aethere camphorato ad guttas 10, 14—20, omni media hora, omni hora, donec reactio subsecuta est. Praeter remedia stimulantia volatilia porrigebatur infusum tepidum florum chamomillae vulgaris, florum tiliae, foliorum aurantiorum, herbae melissae, menthae crispae, menthae piperitae, radicis angelicae, valerianae sylvestris, radicia et florum arnicæ, decoctum foliorum buccae s. diosmae crenatae. Non raro profuerunt magisterium bismuthi, flores zinci granum semis, unum, duo cum sacchari scrupulo semis omni bihorio. Subinde utilis fuit ipecacuanha dosi refracta in pulvere, vel infuso, vel sola, vel cum liquore anodyno minerali Hoffmanni. Martini testatur, Vienne a se multos sanatos fuisse, quibus exhibuit ipecacuanhas scrupulum unum, post quadrantem horae moschi grana duo, camphorae granum unum, sacchari grana sex, donec reactio locum habuit. In morbo incipiente maxime laudatur opium jam solum, jam combinatum cum ipecacuanha, nonnunquam cum camphora vel calomela, vel moscho, rarissime tamen dosi magna, in plurimis casibus sufficit granum unum, duo pro nycthemero exhibuisse.

§. 155.

Quia in morbo evoluto symptoma maxime molestum fuit emeto-catharsis violenta, ideo contra hanc in primis re-

media diversa proposita sunt; plurimi quam maxime commendarunt opium dosi magna, donec observatio docuit, post usum pharmaci evacuationibus silentibus jam apoplexiam, jam typhum letalem subsecutos fuisse; ideo proposita et tentata sunt alia remedia; non pauci laudant pulverem aërophorum, ipecacuanham, vel tartarum emeticum dosi magna; magisterium bismuthi solum, vel cum extracto hyoscyami omni hora granum unum; medici Pestenses Pólya et Grünhut maxime commendant acidum pyrolignosum, vel purum, vel acidi pyrolignosi, tincturae corticum aurantiorum, liquoris anodyni mineralis ana drachmam semis, omni quadrante horae media, una hora gutta una—tres exhibeantur in decocto althaeae. Medici Viennenses utilitatem experti sunt ab aqua naphae cum aqua laurocerasi, ab infuso concentrato coffeae nigrae; Rohrer Leopolis refert maxime profuisse tincturae ratanhiae drachmas duas, aquae laurocerasi drachmam unam, tincturae opii compositae scrupulum unum, omni quadrante horae guttae 5—15. Petropolis bismuthum votis satisfecit. Subinde mitiora remedia suffecerunt: acidulae, in primis Selteranae, in nonnullis casibus vinum campanicum, saepe pulvis aërophorus, compositus e bicarbonate sodae et acido tartari. Contra diarrhoeam profusam commendavit Dupuytren decoctum saturatum capitum papaveris albi, ad libram unam cum sacchari saturni granis sex—duodecim; aegris nostris nunquam praescribendum. Alii commendarunt elysmata ex decocto surfurum, foliis malvae, radice althaeae, vel salep, vel amylo cum opio, quae tamen rarissime applicari possunt. Ubi fieri potest in cholera erethistica ad gradum eminentiorem provecta proficuum est, aegrum imponere semicupio tepido, ad gradum caloris 25—30, saltem calore moderato fovere, et pro medicina exhibere vel spiritum Mindereri post Casper omni hora uno cochleari, vel tincturam valerianae aetheream, alternatim cum aethere camphorato post Sachs. In casibus tamen longe plurimis emeto-catharsis sustentata fuit per potum copiosissimum calidum, ad quem hauriendum coacti fuerunt aegri, denegato enim potu frigido, quod a medicis pro veneno declarabatur, do-

nec observatio docuit, quod aegri non pauci pharmaciae omnibus abjectis aquam frigidam hauserint, et feliciter convaluerint; ideo dein aegris licitum fuit, et cerevisiam frigidam albam, et aquam frigidam haurire; ipsa emetocatharsis pharmacis diversis laudatis rebellis optime sanata fuit per aquam frigidam, parva quantitate haustam, vel glacie ad magnitudinem nucis avellanae omni quadrante horae exhibita. Ita sub usu remediorum saepe paucorum stadium cholericum, nisi cito transierit in paralyticum, asphyticum, tunc frequentissime morte terminandum, superatur, et evolvitur stadium reactionis.

§. 156.

Dum stadium reactionis locum habet, calor animalis increscit, pallor disparet, facies turget, pulsus insurgit, vomitus diarrhoeaque mitiores evadunt, cessant, sudor comparet universalis, calidus, in excrementis observatur aliquid bilis, etiam urinae quantitas aliqua evacuatur; sub stadio hoc aeger semper adhuc expositus est periculo summo, e quo non raro per therapiam rationalem eripi potest; saepe sufficit methodus mitior, dum stadium cholericum praegressum mitius fuit, remedia stimulantia prius proficia debent seponi; ad sudorem moderatum sustentandum aeger foveatur calore moderato, exhibeantur illi juscula tenuia blandissime nutritia, mucilaginosa, gelatinosa, decoctum althaeae vel aliud emolliens, lac dulce, quibus blandissimis remediis longe plures sanati sunt, quam aliis diversissimis pharmacis. Nec tamen semper sufficit haec mitior methodus, dum stadium cholericum gravioribus symptomatibus stipatum fuit, semper metus est justus reactionis gravioris subsecutiae, ad quam praecavendam maxime rationale pharmacum est chininum sulfuricum a Sachs in primis commendatum. Reactione graviori evoluta methodus diversa debet adhiberi; non raro comparent symptomata manifesta congestionis sanguinis activae, ut indicant caput temulentum, cephalaea intensa, subinde delirium, in nonnullis tussis violenta, sensus ardoris in pectore vel abdomen, pulsus

arteriarum durus, frequens, atque in tali casu ad evitandam mortem necessaria est sanguinis evacuatio, subinde per venae sectionem ad libram unam. aliquando etiam repetendam; saepius tamen sufficiunt hirudines vel cucurbitulae cruentae regionibus temporalibus, retro aures, vel pectori, vel abdomini applicandae. Caput autem aqua frigida fomentari debet. Non raro ob characterem morbi inflammatorium, alvum obstipam proficia fuit calomela; subinde per methodum anti-phlogisticam solam morbus in stadium convalescentiae deductus est; saepe tamen post sanguinis evacuationem, longe saepius sine illa, cum indicatio nulla adfuisse, sub stadio reactionis evolvebantur symptomata febris nervosae, subinde versatilis s. erethisticae, frequentius torpidae, non raro gastrico-nervosae, subinde nervoso-septicae, atque tunc pro varia modificatione ac intensitate morbi varia profuerunt remedia; saepe sufficit balneum tepidum cum embrocationibus frigidis capit is, saepe profuerunt angelica, valeriana, arnica, camphora, ammonia, castoreum, liquores aetherei, moschus etc. Non raro sufficit vinum, in primis calidum cum saccharo saepius dosi parva exhibitum; saepe utilissima fuerunt epispastica nuchae, extremitatibus, regioni epigastri-
cae imposita; subinde symptomatibus mitigatis ad stadium convalescentiae adducendum utile fuit acidum vitrioli dilutum, vel liquor acidus Halleri in decocto emolliente.

§. 157.

Methodus hoc usque laudata contra cholera erethistica-
cam saepe saepius proficia, successu minus prospero adhi-
bita fuit in cholera asphyctica s. paralytica, in qua pulsus arteriarum nullus percepitur, corpus frigidum evadit cadaveris instar, et saepe intra paucas horas aeger moritur, nec tamen semper; non raro aegri pulsu destituti, frigidi adhuc ambulant, vita in illis latet longiori etiam tempore et per ar-
tent saepe feliciter resuscitari potest; habet haec species cholerae magnam similitudinem cum statu illo morbo, qui inducitur per fumum carbonum, vaporem musti fermentantis, et per venena narcotica, ut per opium dosi excessi-

va sumtum et per acidum hydrocyanicum. Licet in hac specie cholerae, non secns ac in memoratis statibus morbosis congestio sanguinis major in encephalon et cor ipsum locum habet, et ideo contra status morbosos per fumum carbonum et narcotica inductos sanguinis evacuatio utilis est, in cholera asphyctica venae-sectio, hirudinum vel cœcurbitularum cruentarum applicatio effectu omni salutari destituntur, e vasis enim cutaneis nullus sanguis, vel tantum paucus ater, spissus evacuatur. Ita etiam balnea quamcumque calida, frictiones quamcumque stimulantes, epispastica stimulantia interna quantumcumque laudata effectu carent. In hac specie cholerae remedium efficacissimum est applicatio frigoris; aqua frigida et glacies tam externe applicita, quam interne sumta medicina est praestantissima, initio in Persia, dein in Russia, Gallicia, Hungaria, dein Viennæ, Berolini et in reliqua Europa adhibita; maximis laudibus hoc remedium commendavit Oertel; observationibus plurimis virtutem ejus comprobavit Casper, qui sequentes regulas in usu remedii observandas esse docet:

1mo. Ubi cutis aegri sicca et flaoidea est, imponatur cado vacuo; ubi vero cutis aegri mollis, humida, sudor obiecta est, imponatur aquae calidae 27 graduum therm. Reaum. tanta quantitate cado infusae, ut aegro consideri pertingat usque ad umbilicum, pectus et regio epigastrica super aquam emineant, aeger debilis ex utroque latere per parabolanos idoneos sustentetur, dein aqua frigida perfunditur caput, pectus ac dorsum ex aliqua altitudine, tribus quatuorve amphoris.

2do. Eodem tempore in distantia aliquot passuum aqua frigida vi possibili in directione horizontali versus pectus et regionem epigastricam aegri projiciatur, et haec projectio alternatim cum perfusione instituitur celeriter, donec una aliave nrna aquae consumta sit; repetaturque haec applicatio aquae omni secunda, tertia vel quarta hora, donec reactio observata fuerit. In plurimis casibus sufficerunt applicationes tales aquae frigidæ decem usque duodecim, subinde tamen requirebant viginti. Perfusione peracta ele-

velur aeger, lecto impositus usque collum tegmina ca-
lesfacto involvitur ita, ut in dorso jaceat.

3to. Pectori et abdomini applicentur fomenta frigida,
linteamina madefacta et expressa, frequenter aquae frigidae
immersa; excipientur tantum mulieres lactantes, quarum
pectoris fomenta frigida haud imponantur.


4to. Capiti omnium aegrorum continuo fomenta ex aqua
frigida saepius renovata applicentur, et per hoc typhi cho-
lerici evolutio quam maxime impediatur.

5to. Eodem tempore dum partes corporis superiores aqua
frigida fomentantur, panno humido calido pedes involvantur,
et per hanc fomentationem calidam spasmi surarum dol-
orilici tollantur. Saepe simul mane et vesperi adhibeatur
pediluvium ex aqua calida usque ad genua, cui admixtum
est acidum vitrioli ad uncias sex.

6to. Intonne exhibeat aqua frigida, vel desiderio aegri
conformiter cerevisia frigida; in casibus rarioribus expetunt
aegri potius potum calidum, tunc haud denegandum.

7mo. Alvo obstipa praesente cum abdomine tumido ad-
hibendum est clysmata ex aqua frigida cum aceto, effectu
haud subsecuto additur sal communis. Per hanc methodum
et Berolini et Regiomontii salvati fuerunt aegri plures, de
quorum vita conservanda jam nulla spes concipi poterat.

Nec post applicationem hujus remedii cholera asphyctica
statim in sanitatem deducitur, sed stadium reactionis evol-
vitur, sub quo subinde congestiones sanguinis majores in
encephalon, pectus vel abdomen se manifestant, sanguinis
evacuationem indicantes; non raro typhi cholericai phaeno-
mena evolvuntur et tunc methodus roborans, stimulans,
casui individuali adaequata necessaria est.

In hac specie cholerae ad conditionem sanguinis corri-
gendarum, tentata fuit transfusio sanguinis e homine sano,
vel alio animali desumti sine effectu. Tentata fuit etiam
infusio in venam ex mariatis sodae drachmis duabus carbonatis
sodae scrupulis duobus, in aquae uncis sexaginta solutis
ad temperaturam 35 graduum therm. Reauit. 

successu felicit; Berolini symptomata quidem vitae revocata sunt, mors tamen impediri non potuit.

T. Latte (The London medical and physical Journal, 1832. July.)

The Lancet 1832, June, Novemb.

Casper, Wochenschr. für die gesammte Heilkunde 1833, S. 4, 25.

§. 158.

Superato stadio reactionis cum successu sequitur stadium convalescentiae, saepe brevius, tantum per paucos dies durans, saepe longius per septimanas, imo menses excurrens, nam in multis aegris status morbos per ipsam cholera inducti ut morbi postumi diu durant. In multis alvis obstipa remanet, tunc arte reseranda; subinde sufficientia clysmata emollientia, saepius requiruntur pharmaca purgantia, sed tantum mitiora, ut magnesia cum cereum tartari, oleum ricini, in nonnullis casibus rheum vel senna. Non raro morbi symptomatibus superatis comparent signa saburrae in ventriculo haerentis, et tunc emeticum indicatum est; saepius remansit diarrhoea, quae tollitur saepe per sola emollientia, ut decoctum salep, saepè per opium cum ipecacuanha, gradu debilitatis majori praesente per arnicam; rarius requiruntur adstringentia, ut alumina, gummi kino, catechu, ratanhia; meliori effectu exhibentur nux moschata, cortex cassiae lignae, subinde nux vomica, frequentius columbo. Symptoma molestum post cholera residuum in multis occurrebat dyspepsia, digestio molesta, gastralgia, enteralgia, ructus, flatulenta cum anxietate, inquietudine, pervigiliis, quae phænomena a diverso statu abnormi vitae organicae dependuntia therapiam requirunt circumspectam; vitae regimen omne statui individuali conformato coordinamus, cibos tantum blandos et facilis digestionis concedimus, duriores, pingues, flatibus generandis faventes dissuademus; pro potu aqua convenit, tantum metu latentis inflammationis omni absente, vinum et cerevisia bona adhiberi possunt. Subinde

causa phaenomenorum horum morbosorum est inflammatio chronica latens, tunc vitae regimen anti-phlogisticum, calomela cum extracto hyoscyami vel cicutae, in casibus rarioribus et hirudines convenient. Saepe tamen status ille morbosus characterem manifeste asthenicum habet, tunc victus blande nutriens, usus aëris puri sicci, motus corporis moderatus, animi exhilaratio, pharmaca blande stimulantia, ut infusum florum chamomillae vulgaris, foliorum aurantiorum, herbae melissae, menthae, liquores aetherei, tinctura corticum aurantiorum, et his haud sufficientibus murias chinini cum elaeosaccharo grato indicata sunt; simul quotidie mane regio epigastrica et reliquum abdomen abluantur vino vel spiritu aromatico tepido.

Non raro per morbum gravem inducuntur hydrops, paresis, paralysis, vesania, qui status morbosus, dum curae capaces sunt, per methodum roborantem, casui individuali accomodatam, in sanitatem deducuntur.

PROFLUVIA ORGANORUM UROPOËTICORUM ET GENITALIUM.

ENURESIS.

§. 159.

Enuresis vocatur Latinis *incontinentia*, etiam *stillicidium urinae*, estque ille status morbosus, sub quo urina aegro inscio vel nolente evacuatur, aut per vias consuetas, nempe urethram, aut per vias inconsuetas, nempe per fistulas urinarias, cognosciturque facile visu et olfactu; nam per profluvium molestum non tantum vestimenta conspurcantur, sed etiam cutis vicina genitalium et femorum irritatur, inflammatur, non raro exulceratur.

Israel, de urinae incontinentia. Heidelberg. 1673.

Sperling, Diss. de urinas incontinentia. Vittebergae. 1694.

Slevogt, Diss. de urinae incontinentia. Jenae. 1707.

Swalmius, Diss. de urinae incontinentia. Lugd. Batav. 1737.

van Endem, Diss. de urinae incontinentia seu mictione involutaria. Duisburg. 1770.

van Rossum, Diss. de incontinentia urinae. Lovan. 1782.

C. G. Gruner, resp. Rosenplatt, Diss. de incontinentis. Jenae. 1792.

Toben, Diss. de enuresi. Göttingae. 1805.

§. 160.

Differentiae morbi occurunt plures, et quidem relate ad intensitatem dicitur enuresis completa, dum aegro prorsus inscio sine omni illius arbitrio urina continuo stillat; enuresis incompleta vocatur, dum aeger aliquo tempore retinere valet urinam in vesica, sed quamprimum sentiat nisum evacuandi, et non illico obsequatur, tunc nolente etiam aegro effluit. Species secunda observatur frequentissime apud infantes et pueros, propterea vocatur enuresis infantum, et quidem saepius tantum noctu in somno contingit (enuresis nocturna), subinde etiam sine somno, interdiu, dum attentio aliorum conversa est, ut in lusu. Non raro occurrit haec enuresis in senibus. Saepe est tantum accidentalis, transitoria, quae brevi durat, et tantum a causis mox evanescentibus inducitur, talis observatur in morbis acutis et chronicis tempore delirii, ob defectum conscientiae sui; saepe enuresis per menses, imo annos durat, in consuetudinem abit, dicitur chronica, habitualis. Majoris momenti differentiae sunt, quae inducuntur per causas morbi.

§. 161.

Non raro inducitur et sustentatur enuresis per vitium quoddam organicum sive in vesica urinaria, sive in partibus vicinis haerens, per quod partim volumen vesicae urinariae coaretatur, ut lotum secretum retinere haud valeat, partim vesica urinaria irritatur continuo ad evacuationes; ita subinde calculus in collo vesicae urinarie haerens, sub-

inde polypi, excrescentiae fungosae in vesica efformatae, subinde prolapsus, hernia ipsius vesicae, rarissime vermes in vesica urinaria reperti, frequentius incrassatio membranae mucosae vesicæ urinariae, enuresis causam constituunt. Saepe fistulae urinariae jam in perinaeo, jam in scroto, peni, jam super symphysim ossium pubis, jam in intestino recto, jam in vagina apertæ reperiuntur, quæ excitantur subinde per vulnera vesicæ urinariae illata, per cystotomiam, frequentius per inflammationes vesicæ urinariae neglectas. In mulieribus nonnunquam aperitur fistula urinaria in vaginam post partum difficultem, ubi per caput incuneatum foetus, vel per obstetricationem rudem operculis aut vectis inflammatur collum vesicæ urinariae. Saepe in ipsa vesica urinaria nulla vitia organica reperiuntur, sed in partibus vicinis, ut apud viros in glandula prostatæ, cuius inflammatio, suppuratio, exulceratio chronica, ut plurimum effectus urethritidis syphiliticae, enuresim sustentant; subinde morbi organici vesicularum seminalium, frequentius morbi organici intestinalium, in primis recti, ut haemorrhoides, in mulieribus uterus gravidus, vel inflammatione, induratione, scirrho, carcinomate affectus causam enuresis constituunt.

Ideo in omni enuresi primam attentionem eo dirigimus, ut detegamus vitium organicum profluviū hoc provocans, vel sustentans; non raro vitium organicum praesens tantum prædisponit ad morbum, et saepe nullum vitium organicum detegi potest, et tunc in morbo strictiori sensu dynamico duplē statum abnormem distinguiimus. Saepe nempe irritabilitas vesicæ urinariae totius vel tantum colli ejus est morbose exaltata, ita ut per urinam etiam minori quantitate affluentem jam provocetur irritatio et sic evacuatio urinae; talis enuresis erethistica est frequentissima apud infantes et pueros; occurrit etiam apud adultiores, in primis hysteriasi vel hypochondriasi affectos; talis subinde est symptoma inflammationis vesicæ urinariae vel partium vicinarum, ut urethritidis, metritidis; non raro sine omni phlogosi excitatur per tussim, cachianum, subin-

de in convalescentibus observatur post morbos graves, post febrim cum charactere nervoso, post evacuationes qualescunque nimias, post excessus in Venere. Non raro irritabilitas est potius imminuta, in primis in sphinctere colli vesicae urinariae et in levatoribus ani, qui constituant semi-sphincteres colli vesicae urinariae, atque in statu semi-paralytico vel paralytico reperiuntur, dicitur e. paralytica, qualis remanet post apoplexiā, hemiplegiam, paraplegiam, est non raro symptomā hydrocephali interni, hydrorrhachiae, fracturae, luxationis, cariei vertebrarum spinae dorsi; talis observatur sub febri asthenica gravi cum charactere nervoso-septico; evolvitur per senectutem, per causas organismum nimis debilitantes, per onaniam, excessus in Venere, extensionem nimiam vesicae urinariae ab urina copiosa diu retenta, a calculo majori collo vesicae urinariae impacto, vel ab instrumentis collum vesicae urinariae dilatantibus.

§. 162.

Prognosis enuresis variat pro diversitate momentorum pathogeneticorum; saepe est morbus levior, transitorius, facile removendus, dum characterem dynamicum erethisticum, vel mitiorem inflammatorium habet; saepe est morbus valde molestus, periculo stipatus, dum character inflammatory est eminentior, vel dum sustentatar a vitio organico jam inveterato, vel dum symptomā constituit paralysia sphincteris vesicae urinariae. Non raro tamen per therapiam rationalem feliciter devincitur,

§. 163.

Curam morbi inchoamus conatu causas excitantes adhuc praesentes removendi, sic calculum in vesica urinaria praesentem aut per cystotomiam, aut per lithontritiam tollimus, prolapsus, hernias reponimus, ulcera fistulosa auxiliis chirurgicis idoneis sanamus. Saepe nullum vitium organicum detegi potest, tunc indicationem curae desumimus a statu dynamico abnormali; saepe in enuresi erethistica detegitur

status phlogisticus jam intensor, jam mitior, et tunc methodus antiphlogistica, raro quidem sanguinis evacuatio universalis, frequentius topica hirudinum ope est indicata. Saepius sine phlogosi morbose exaltata est irritabilitas vesicae urinariae, atque tunc contra ipsam enuresim effectu optimo adhibemus aquam frigidam forma lotionis et balnei, effectu desiderato hand subsecuto exhibemus narcotica: hyoscyamum, cicutam, opium. Subinde majori utilitate adhibentur remedia antagonistica, interne ipecacuanha dosi refracta, externe epispastica, sinapismus, eucurbitulae siccae, ventosae regioni sacrali applicitae. In uno casu morbus molestus sublatus est per catheterem argenteum urethrae impositum, omni 24ta hora mutatum, successive diutius clavum retentum, ut per urinam ipsam successive majori quantitate accumulatam vesica urinaria extenderetur, et irritabilitas ejus successive minor redderetur. Dum status erethisticus cum debilitate connexus est, tunc methodus roborans indicata est, martialia, cortex cinchonae, cuius pulverem cum radice rhei chinensis dosi parva maxime commendat J. P. Frank.

Dum enuresis characterem exhibit paralyticum, torpidum, tunc ad irritabilitatem prostratam erigendam remedia stimulantia indicata sunt, ut lotiones vinosae, spirituosa, fomenta aromatico-vinosa, linimenta ammoniata, saponato-camphorata, quae inunguntur regionibus sacratis lumbalibus, pubis; morbo ad majorem gradum evecto requiruntur efficaciora; linimentis nempe addimus aetherem vitrioli, oleum destillatum terebinthinae, camphoram, subinde phosphorum, frequentius adhibemus tinteturam vel emplastrum cantharidum. Subinde profuit applicatio electricitatis et galvanismi; nec raro persola externa remedia scopum curae attingimus; saepe tamen in gradu debilitatis majori interna quoque pharmaca in usum vocare cogimur, ut arnicam, camphoram, ammoniam, tinteturam cantharidum, cuius guttas quinque usque quindecim bis, ter-ve quotidie aegro exhibemus. Subinde clysmata stimulantia ex infuso arnicae cum vino, cum spiritu vini, spiritu cornu-

cervi profuerunt. Quia status paralyticus non statim tollitur, per urinam autem accumulatam semper magis augetur, ideo catheter quotidie semel bis-ve applicari debet, donec energia vesicae urinariae sufficiens provocata fuerit per remedia stimulantia.

Canin, (Archives gén. de médecine, 1826, Dec. p. 618.)

Klaatsch, (Hufeland's Journal der prakt. Heilk. 1827, Mz.)

Winter, (Gräfe's und Walther's Journal für Chirurgie u. Augenheilk. Bd. I. H. 2.)

§. 164.

Peculiarem attentionem requirit enuresis infantum, quae saepe incongrue tractatur per poenas corpori illatas, cum tamen profluvium hoc molestum dependeat a statu hyper-erethistico vesicae urinariae, aetati infantili ita proprio, ut saepe remediis omnibus incassum adhibitis, tantum sub evolutione corporis ulteriori morbus molestus dispareat. Non raro tamen per curam rationalem citius tollitur, quem in finem commendamus aegro teneriori coenam parciam, eamque minus liquidam, potulenta pauca, lectum duriorem, non mollem, non plumosum; ante decubitum vesicam evacuet aeger, noctu etiam semel bis-ve excitetur, nec tamen frequentius, nam secus vesica assuescit ad evacuationem frequenter ita, ut urinam aliqua quantitate accumulatam retinere haud valeat. Quotidie corpus universum, in primis regio sacralis, hypogastrica et perinaealis abluatur aqua frigida sola; aestate etiam balneum frigidum utile est; pharmaca superflua, imo saepe noxia sunt. Ita Pleuk commendat pulveres foliorum uvae ursi drachmam unam, pulveris cantharidum grana sex, sacchari unciam semis, ut inde bis per diem cochleari coffeaceo parvo sumatur, quae tamen medicina plurimis noxia est, ideo apud nos haud adhibetur. Debilitate in infantibus ac pueris praesente commendamus potius interne praeparata ferri, externe lotionem corporis cum vino, spiritu vini, spiritu vini camphorato, balneum ex decocto foliorum et ramorum sa-

licis, vel ex solutione aluminis crudi, et globulorum martialium.

§. 165.

Licet saepe therapia rationali casui individuali accommodata enuresis feliciter tollatur, non raro ob vitia organica incurabilia, vel ob paralysim completam remanet morbus molestus, et tunc chirurgia suggesta consilia ad incommoda imminuenda. Compressio penis per ligaturam, aut machinam haud commendanda est. In mulieribus subinde adhiberi potest obturaculum urethrae certo tempore aperiendum; in viris necessaria sunt receptacula idonea, e quibus urina frequentius evacuari debet.

D I A B E T E S.

§. 166.

D i a b e t e s est morbus ille peculiaris, sub quo urina profunditur quantitate excessiva, et qualitate ita abnormi, ut principium contineat saccharinum, simulque profluvium hoc connexum est cum emaciacione corporis nimia, cuti sicca, siti inexplebili. Morbus jam antiquis medicis notus erat per Galenum, Celsum et Aretaeum describitur, dein usque finem seculi XIV. nullae observationes fide dignae innotuerunt. Primi praesentiam substantiae saccharinae in urina indicabant Willis et Morton, seculo dein XVIII. natura morbi exactius observata et definita est. Apud antiquos scriptores Graecos vocatur hoc profluvium *hyderus* seu *hydrops matulae*, et *dipsacus*, quia pro symptomate habet sitim insatiabilem, qualis a morsu serpentis dipsas inducitur. Swedia uer vocat *urorrhagiam*, Ali-
bert *polyuriam*, Mason *Good paruriam mellitam*.

T. Willis, *Pharmacologia rationalis*. Oxonii. 1674.

Morton, *Phthisiologia*. Londoni. 1689.

- J. Buchwald, resp. Ryberg, de diabetis curatione. Hafniae. 1733.
- B. Heckley, Inquiry into the nature of Diabetes. London. 1745.
- C. G. Kratzenstein, Theoria fluxus diabetici. Halae, 1746.
- W. Stevenson, Diss. de diabete. Edinburgh. 1762.
- Marcus, Diss. de diabete, Göttingae. 1775.
- W. Trnka de Krzowitz, de diabete commentarius. Viena. n.ae. 1778.
- Place, Diss. de vera causa diabetis, in defectu assimilationis quaerenda. Göttingae. 1781.
- Goldhagen, Diss. diabetis indoles et medela. Halae. 1780.
- F. Marabelli, Memoria sui principj e sulle differenze dell'orina, in due specie di diabete, confrontata colla naturale. Pavia. 1792.
- G. Tommasini, Storia ragionata d'un diabete. Parma. 1794.
- Creuzwieser, praes. Meckel, Diss. de cognoscendo etenrando diabete. Halae. 1794.
- Titius, Experimentorum Ticinensium, in quibus diabeticorum urina sub examen vocatur, enarratio cum episcopi. Vitterbergae. 1795.
- J. Rollo, an account of two cases of diabetes mellitus, with a general view of the nature of the disease, and additions of W. Cruikshank. London. 1797. 1798.
- Rollo, Traité du diabète sucré, traduit de l'anglais par Alphonse Lyon, avec des notes de Fourcroy. Paris. 1799.
- Abhandlung des Diabetes mellitus, oder der zuckerartigen Haroruhre, a. d. engl. von Heidman. Wien. 1801.
- Knebel, Materialien zur theoretischen und praktischen Arzneikunde. Breslau. 1800.
- Rosemüller, Diss. de diabete. Lipsiae. 1806.
- R. F. Nicolas, et Victor Guédeville, Recherches et expériences médicales et chimiques, sur le diabète sucré, ou la phthisurie sucree. Paris. 1805.
- R. Watt, Cases of diabetes, consumption, etc. Glasgow and London. 1808.
- J. Latham. Facts and opinions concerning diabetes. Edinburgh. 1811.
- R. Venables, a practical treatise on diabetes, London, 1825.

A. W. Stosch, Versuch einer Pathologie und Therapie des Diabetes mellitus. Berlin. 1828.

Pharamond, Description des causes et des effets de la maladie connue sous le nom de diabète. Paris. 1829.

§. 167.

Ad naturam morbi cognoscendam in singulo casu individuali attentionem nostram dirigimus in evolutionem successivam symptomatum; saepè observantur prodroma, ut sensus ardoris in regione epigastrica, ructus acidi, dolor colicus frequenter recurrens instar terminum, alvus plurimum obstipa, sensus frigoris a regione lumbali versus pelvim se extendentis, animi morositas et corporis emaciatio; neque tamen ex his symptomatibus annunciare valamus evolutionem morbi futuri, cum similia prodroma comparent etiam in aliis morbis viscerum abdominalium, ut in hypochondriasi, arthritide, haemorrhoidibus, urolithiasi; et testantibus J. P. Frank et Rollo non raro sine ulla prodrromis praegressis in homine relative sano, subito evolvuntur phaenomena morbi singularis et gravis.

Sunt autem symptomata morbi evoluti praecipua: famem nimia, bulimia, sitis insatiabilis ita, ut aeger diu noctuque torqueatur siccitate oris nimia et desiderio continuo aquam hauriendi; mox secretio et excretio urinae abnormis animadvertisit, quantitas urinae evacuatae est in plurimis casibus nimia, quantitatem alimentorum et potulentorum ingestorum longe superans, spatio nycthemeri ascendens ad libras quadraginta, imo octoginta, centum, adnotante Frank in uno casu evanabatur urina spatio nycthemeri ad libras ducentas, et propterea vocatur a nonnullis morbus polyuria vel hyperuresis. Quantitas tamen excessiva urinas non constituit essentiam morbi hujus, nam in variis statibus morbosis, ut in hypochondriasi, hysteriasi, in hydropicis convalescentibus post usum diureticorum non raro contingit evacuatio urinarum nimia, quin hoc profluvium ad diabetem referri possit, quia symptomata morbi reliqua omnia desiderantur,

ideo vocatur tale profluvium polyuria aquosa, vel diabetes spurius, ut distingnatur a diabete genuino, qui vocatur etiam diabetes mellitus vel saccharinus; in tali nempe qualitas est urinae peculiariter mutata, colorem habet pallido flavescentem, mell aqua diluto similem, non foetet, non putrescit, sed odem exhalat syrupo violarum similem; saporis est subdulcis, longiori tempore conservari potest, quin corrumpatur, quin putrescat et foeteat, per inspissationem largitur ex fructum melli simile, ex quo parari potest saccharum; per fermentationem spiritus vini et acetum; alia principia urinae, ut urates et phosphates minima quantitate deteguntur. Secretionem haeno morbosam conitantur et alia phænomena in organismo conspicua; emaciatio corporis de die in diem magis increscit, cutis est aridissima pergamens instar, robur muscularum semper magis immunitur, aeger ad motus corporis perficiendos semper magis inhabilis redditur, in primis potentia generandi citè extinguitur, sensus externi obfuscantur, animus evadit tristis, morosus, melancholicus, somnolentia est continua, et tamen aeger dormire nequit, partim quod siti continuo torquetur, partim quod continuo necessitatè urinam evacuandi experitur, donec morbo ad maiorem gradum evepto incontinentia urinae seu involuntarius et continuus ejus fluxus locum habet. Ipsa evacuatio urinae contingit in plurimis cum sensu doloris et ardoris, cuiusdam, saepe glans intumescit, et intra praeputium ac glandem colligitur materia alba, caseosa, similis materiae saccharinae iex urina obtentae. Febris symptomata sub exordio morbi nulla observantur, calor animalis est normalis, pulsus arteriarum non raro tardior, tantum sub incremento morbi majori accedunt symptomata febris hecticae.

Ex symptomatibus enumeratis morbum praesentem cognoscere ardum non est, cum nullus alter morbus sit a iisdem symptomatibus stipatus. Praeter diabetem mellitum distinguuntur ab auctoribus ut varietates ejus:

Diabetes mellitus decipiens, ubi nempe quantitas urinae evacuatae non est magna, quantitatem alimentorum et potulentorum non superat, imo subinde minor est, sed omnia reliqua symptomata diabetis adsunt; urina substantia saccharina ita abundat, ut J. P. Frank in uno easu e libris duabns urinae obtinuerit sex uncias materiae saccharinae.

Diabetes insipidus, in quo quantitas urinae est nimia, symptomata quoque reliqua morbi evolvuntur, sed substantia saccharina in urina non reperitur; magnae auctoritatis viri in medicina Reil et Pinel dubitant de existentia hujus speciei, putant urinam diabeticorum non esse omni tempore aequalem, per plures dies substantia saccharina abundare, dein vero per aliquot dies eadem iterum destitui; sed J. P. Frank et Alibert testantur, se observasse diabeticos per decursum totius morbi, urinasque diverso tempore analysi subjectas fuisse semper insipidas.

Diabetes caseosus describitur ab Alibert nomine *polyuria caseosae*, ubi cum symptomatibus morbi omnibus evolutis evacuabatur urina albo-opaca chylo similis, quae secundum analysim a Vauquelin susceptam continuit substantiam caseosam. Similem diabetem descripsit J. P. Frank nomine *cœliacæ urinalis seu chyluriae*, quae distincta est a lienteria urinali, in qua potuenta ingesta vix immutata cum urina evacuantur.

§. 168.

Praeter symptomata formam morbi exprimentia, ad naturam definiendam oportet etiam momenta pathogenetica exquirere: dispositio certa peculiaris requiritur ad diabetes evolutionem, quod raritas etiam morbi indicat, estque haec dispositio subinde hereditaria, dum unius ejusdemque familiae membra plura successive in eundem morbum incident. Relate ad aetatem differentia observatur exigua, nam et in pueri octo annorum et in sene sexaginta annorum morbus evolutus est; relate ad sexum hue usque mor-

bus longe frequentior fuit in viris, rario in mulieribus. Causae excitantes adducuntur diversae per observatores; excessivus usus potuum spirituosorum, victus merus vegetabilis, vita sedentaria, animi moeror; aer humidus, corruptus, excessus in primis in Venere. Richter adnotavit, morbum semel evolutum fuisse post febrim biliosam, alia vice post refrigerium, rheumatismum, arthritidem.

De ipsa causa proxima diabetis diversae sententiae prolatae sunt: multi et hodie cum Galeno causam morbi declarant esse debilitatem, quia in aegris semper adest magnus gradus debilitatis; neque tamen ex debilitate sola explicare valemus symptomata morbi singularia, neque moribus tolli potest remediis solis roborantibus, imo subinde largae venae sectiones necessariae fuerunt.

Alii, ut Willis, Cullen causam proximam diabetis quaesiverunt in statu abnormi nervorum, ideo Cullen retulit diabetem ad neuroses; nec dubium est, systema nervosum vitae organicae in hoc morbo a statu normali multum recedere, quod non tantum symptomata indicant, sed etiam efficacia magna narcoticorum, in primis opii in diabete sanando; ex sola tamen conditione abnormi nervorum symptomata morbi explicare haud valemus. Darwin defendit, causam proximam diabetis esse motum retrogradum chyli in vasis lymphaticis, quod chylus e tubo intestinali et ductu thoracico per vasa lymphatica deferatur immediate in renes; sed urina diabeticorum a chylo multum differt. J. P. Frank refutatis antecessorum theoriis substituit novam assertens, per influxum potentiarum nedum satis cognitarum in organismo humano evolvi acrimoniam peculiariter, per aquam vasa lymphatica in corpore universo extimulantur ita, ut absorptio sit nimia tam in tubo alimentari, quam in evi, liquidaque absorpta conjici in renes; sed ex sola absorptione excessiva phaenomena singularia haud intelliguntur. Rollo et post illum Nicolas de Gueudeville, Dupuytren et Thénard docuerunt, sedem causae morbi principalem esse in ventriculo, per cuius statum abnormem contingit secretio succi gastrici peculiariter abnormis, nimis

acidi, oxygenio valde scatentis, inde sensus ardoris in regione epigastrica, ructus acidi, fames et sitis nimia; per acidum hoc praedominans minime generari chylum normalem, sed liquidum principio saccharino scatens, quemadmodum ex amylo post adfusionem acidi nitrici generatur saccharum. Symptoma morbi evincent quidem, statum ventriculi non minus ac processum assimilationis abnormem esse; neque tamen theoria chemica genesim morbi illustrat, nam secundum analyses exactas a Vauquelin et Ségalas institutas in sanguine et in liquidis secretis, ut saliva ne vestigium quidem sacchari detegi potuit, licet in urina copiosum adfuerit. Multi causam proximam profluvii hujus quaesiverunt in renibus, cum plurimi aegri sub exordio morbi accusent jam sensum frigoris e regione lumbali versus pelvem descendantem, jam dolorem ardentem regionem renalem infestantem, et in cadaveribus diabeticorum deguntur varii status abnormes renum, ut volumen auctum, infarctus, induratio, vasorum haematophororum morbosa extensio, subinde vomicae, ulcera. Non raro per investigationem anatomico-pathologicam status nullus a normali recedens renum detegi poterat, sed jam in hepate, jani liene, jam glandulis mesaraicis abnormitates occurribant. Ex observationibus hucusque institutis ut resultatum deducimus, causam proximam diabetis esse secretionem peculiaris in renibus contingente, ac proinde ipsum statum dynamicum renum esse peculiariter abnormem, huncque produci, jam per irritatum statum organorum uropoëticorum, genitalium, initio inflammatorium, dein paralyticum, recte animadverte Dür dependentem a statu morboso medullae spinalis; jam per vitia organica eorum aut per statum dynamico-organicum abnormem ventriculi, tubi intestinalis, hepatis, lienis vel aliorum viscerum ad secretiones varias concurrentium.

F. G. Dür, einige fragmentarische Andeutungen über Diabetes mellitus und dessen Species (Hufeland's Journ. der pract. Heilkunde. 1833. Januar. S. 20.)

§. 169.

Morbus evolutus pertinet ad periculosissimos ; referuntur quidem exempla curae feliciter peractae, sed ita rara, ut illa quoque in dubium vocentur ; sic Cullen fatetur, se e viginti aegris hoc prosluvio affectis nullum sanare potuisse. J. P. Frank e selectim aegris in diversis Europae provinciis curae suae subjectis tantum duos sanavit. Recentiores tamen, ut Rollo, Nicolas, Guendeville, Dupuytren et Thénard gloriantur de curis pluribus feliciter institutis. In morbo incipiente, vitiis organicis altum ad gradum evectis nedum praesentibus, spes de sanitate restituenda, concipi potest, sed ubi dispositio congenita praecessit, vicia organica morbum sustentant jam ita proiectum, ut febris hecticae phaenomena adsint, tunc limites arti positi sunt.

§. 170.

Sicut de natura, ita et de therapia diabetis differunt inter se auctores; non pauci cum antiquis Graecis, Willis, Sydenham causam morbi solam debilitatem agnoscunt, ideo methodum roborantem, victum animalem, vinum Hispanicum commendant; nonnulli alumen interne in pulvere, externe ut fomentum in solutione, alii gummi kino et corticem cinchonae, Duncan tincturam cantharidum a guttis decem usque quadraginta pro nycthemero laudant. Quae remedia in diabete spurio seu polyuria aquosa, a sola debilitate dependente poterant prodesse, contra diabetem genuinum, secundum observationes exactas recentiores efficaciam nullam habuerunt. Magnam attentionem excitavit methodus a Rollo proposita, postquam comprobasset causam proximam morbi esse assimilationem peculiariter abnormem, per quam substantia potius vegetabilis, quam animalis generatur; pro cura commendavit, ut aegro exhibeat cibus tantum animalis, jus pingue, caro pinguis, laridum, botuli, sanguis, pro potu adhibetur lac, debilibus aut spirituosis assuetis dosi moderata vinum, vel spiritus vini aqua dilutus, cuius quotidie inungatur larido, testaturque hac sola alimentatione, denegato omni vegetabili morbum sublatum

falsse; atque tunc post decem dies iam observatur effectus salutaris hujus curae; balimia et polydipsia imminuantur, urina parcius et minus dulcis evacuat^{ur}, cutis mollior redditur. Si post quatuordecim dies decrementum morbi nulla observatum fuerit, tunc victui animali jungi debent etiam pharmaca, et quidem sulfuretum lixivae, cuius initio drachma una, post octo dies drachmae duas in libris duabus aquae solutae pro nycthemero exhibentur; emendatione post quatuordecim dies nulla secura, commendat sulfuretum hydrogenatum ammoniae seu spiritum fumantem Begnini, ita ut quotidie ter, quater guttae quatuor, successive usque ad duodecim auctae in uno cochleari aquae sumantur. Methodum eandem cum victu solo animali commendant etiam Galli, cum illa differentia, quod si victus animalis per plures septimanas effectum desideratum haud praestiterit, pro potu sumat aeger vel ammoniam, vel acidum phosphori, aqua sufficienti dilatum, alvo obstipa praesente adhibeat phosphatis sodae drachmas duas, tres-ve in sero lactis, simul exhibeantur illi opii puri, pulveris corticis cinchonae rubrae ana grana sex, in tres pilulas formata, quarum una mani, altera circa meridiem, tertia vesperi sumatur. Licet haec methodus multum laudata fuerit, tamen specifica ditei non potest, cum saepe successu cœquit, ut testantur Horn et J. P. Frank. Watt commenda longas et repetitas venæsectiones, in uno casu spatio quatuordecim dierum centum octo unciae sanguinis, in alio casu referente M. Good spatio viginti dierum centum viginti sex unciae sanguinis detractae sunt, sanitate restituta. Pelham Warren sanavit morbum opio a grano uno usque sex pro nycthemero exhibito. Richter refert, se unum diabeticum sanasso emetico, aliud antimonialibus et balneo tepido, aliud tartaro emetico et valeriana, aliud ipecacuanha et camphora.

Warren, (Sammlung auserlesener Abhandl. für prakt. Aerzte, Bd. XXV. S. 2.)

Richter, Medicinisch-chirurgische Bemerkungen. Göttingen. 1763. Bd. I. S. 76.

J. P. Frank, Interpretationes clinicae. Pars I. pag. 308.

§. 171.

Diversitas therapiarum laudatarum nos convincit de natura morbi varia, quam conamur in singulo casu individuali cognoscere, atque causas excitantes forte adhuc praesentes removere; ita post Richter saburra in ventriculo praesente profuit emeticum, post Behrends saburra in tubo intestinali existente profuit rheum. Pinel virum post studia nimia et animi moerorem diabete affectum vita rurali, in aere puro sicco, animi exhilaratione, victu nutriente et vino generoso absque pharmacis sanavit. Si causa excitans fuerit refrigerium, tunc methodus diaphoretica proficua est, inunctio corporis cum oleo tepido, pulvis Doweri, balneum vaporis et motus corporis moderatus.

Causis excitantibus haud amplius praesentibus character status dynamici organici abnormis secretionem morbosam sustentans nos dirigit in therapia. Subinde detegitur, adesse status inflammatorius in organis uropoëticis, organis digestionis, atque tunc methodus anti-phlogistica est indicata; subinde sanguinis evacuatio universalis, saepius sufficit topica. Statu tali inflammatorio haud praesente commendamus aegro victum animalem, experientia et ratione probatum, ne tamen intolerabilis sit, concedimus dosi moderata etiam victum vegetabilem ac vinum, e pharmacis autem huic usque laudatis sulfuretum hydrogenatum ammoniac per observatores plures laudatum commendamus, attendendo in effectus ejus, quibus salutaribus haud observatis post unam alteramve septimanam caeteris praeferimus opium, jam solum, jam ipecacuanha junctum, quod et hypertensionem organorum uropoëticorum imminuit, et perspirationem cutis suppressam promovet; propterea etiam balneum tepidum, vel balneum vaporis utilitatem habent.

Dum sub therapia statui individuali accomodata morbi decrementum observamus, dosim et pharmacorum, et victus animalis imminimus, morboquo devicto ad recidivam semper molestiorum præcavendam commendamus aegro, ne

victu vegetabili solo utatur, et causas reliquas excitantes morbi solleite vitet.

GONORRHOEA.

§. 172.

Gonorrhœa vocatur etiam *gonobolia*, *spermatorrœa*, a Swediauer *spermacrasia*, estque profluviū succi genitalis valetudinem organismi labefactans, frequentior in sexu virili, nec tamen rarus in sexu foeminino, jam ab antiquissimis temporibus observatus, et a Hippocrate descriptus, exactius tamen per recentiores post Tissot investigatus, et quia in morbo proiecto frequenter evolvitur species una tabis nervosae cum emaciatione majori in spina dorsi, simul cum sensu formicationis connexa, ideo describitur etiam nomine tabis *dorsalis*, vel *myelophthisis*.

Brendel, Diss. de tabe dorsali. Göttingae. 1749.

Tissot, Tentamen de morbis e manustupratione. Lausanae. 1779.

Wichmann, de pollutione diurna, frequentiori sed rarius observata tabescentiae causa. Göttingae. 1782.

Gruner, Diss. de masturbatione. Jenae. 1784.

F. Hildebrand, über die Ergiessungen des Saamens im Schlaf. Braunschweig. 1792.

C. R. Jänisch, Diss. de pollutione nocturna. Göttingae. 1795.

Salzmann, über die heimlichen Sünden der Jugend. Leipzig. 1799.

Canestrini, Onanismus medice, politice et moraliter consideratus. Oeniponti. 1801.

Loewenhard, Diss. de myelophthisi chronica vera et nota. Berolini. 1812.

C. Weidenbach, Diss. de tabe dorsali. Berolini. 1817.

Schesmer, Diss. tabis *dorsalis* adumbratio pathologica. Berolini. 1819.

G. Horn, de tabe dorsali prolusio. Berolini. 1827.

§. 173.

Morbus hic se manifestat diversis symptomatibus, pro diversa constitutione aegri, intensitate, duratione et complicatione morbi; initio contingunt tantum evaeuationes succi genitalis noctu in somno (pollutio nocturna), morbo ad majorem gradum erecto evacuatio involunta-ria etiam aegro vigilante locum habet (pollutio diur-na). Longiori tempore profluvium sub erectione penis cum sensu aliquo voluptatis evenit, valetudo tamen lae-ditur, vocatur gonorrhoea imperfecta; morbo in-gravescente effluit succus genitalis sine erectione et sine sensu voluptatis (g. completa). Subinde profluvium hocce longiori tempore jam durat, quin symptomata laesae valetudinis observentur, dum nempe constitutio organismi est valde firma, quo enim illa tenerior est, eo citius com-parent noxii effectus profluvii hujus, et quidem frequen-tissime producantur per excessivam profusionem succi genitalis:

1mo. Perturbationes functionum organorum digestionis et chylificationis, plurimi aegri conqueruntur de appetitu cibi prostrato, digestione difficiili, dolore jam tendente, jam premente in abdomine, de ructibus, flatulentiis et al-vo obstipa. Neque tamen haec symptomata dyspepsiae con-stantia sunt, non pauci appetitum cibi habent nimium, sed licet alimenta majori quantitate ingerant, corporis tamen nutritio non augetur, processus assimilationis et sanguifi-cationis imperfectior se manifestat per colorem cutis palli-dum, musculos flaccidos, habitum cachecticum; pauciores tautum sunt, qui morbo hoc affecti longiori tempore colorem laetum, artus torosos exhibent.

2do. Systematis nervosi status evadit abnormis, pluri-mi experiuntur labefactationem sensuum externorum, in-primis visus ita, ut amblyopia, myopia et non raro amau-rosi laborent. Peculiariter afficitur medulla spinalis, aeger secundum longitudinem spinae dorsi accusat sensum formi-cationis, saepè sensum frigoris, acsi per longitudinem spi-

nae dorsi aqua frigida decurreret, saepo percipit dolorem intensum jam in una, jam alia parte spinae dorsi, corpus totum emaciatur, in primis in regione lumbali et sacro-coccygea; evolvuntur symptomata morbosa in partibus omnibus, quarum nervi cum medulla spinali connexi sunt, sic in extremitatibus initio tantum inferioribus, dein etiam superioribus observantur tremores, pareses, et paralyses; quia systema gangliosum conditionem viscerum cavi pectoris et abdominis determinans cum medulla spinali intime cohaeret, ideo evolvuntur praeter dyspepsias hysterias, hypochondriasis, dyspnoea, tussis cruenta, in praedispositis phthisis pulmonalis, cordis palpitationes, initio tantum tempore profluvii perceptibles, morbo increscente subinde adeo intensae, ut metum excitent de vitio organico cordis, quod tamen saepius nullum adest, sed ob profluvium excessivum irritabilitas cordis morbose exaltatur, quod etiam in reliquo organismo locum habet, ideo spasmi, convulsiones, ut chorea Sti Viti, epilepsia per hoc profluvium post annos pubertatis provocantur. Ipsum cerebrum experitur effectus noxios hujus profluvii, initio memoria, dein et iudicium et ratiocinium adeo deperduntur, ut miseri hoc morbo affecti mentis imbecillitate, fatuitate laborent; vigor, hilaritas animi disparent, plurimi evadunt tristes, melancholici, solitudinem quaerunt, non pauci in desperationem incident. Ita organismus totus relate ad energiam suam vitalem in parte omni semper magis imperfecta redditur, tantum in genitalibus exaltatur initio vitalitas, ob irritationem nempe majorem congestio etiam major sanguinis locum habet in genitalia, ideo stimulus Veneris exaltatur, ut per rationem difficulter refraenari possit, initio contingit profluvium involuntarium tantum tempore somni lascivi, morbo vero increscente provocatur etiam homine vigilante, per conversationem cum sexu altero, per representationem, imaginem, sermonem lascivum.

Krimmer, Beitrag zur Pathologie und Therapie der Herzkrankheiten, besonders in Beziehung auf Onanie. (Hufelands Journal für prakt. Heilk. 1827, Febr.)

§. 174.

Diagnosis morbi symptomatibus manifestis praediti eo facilius est, quod saepe etiam aeger sincere refert originem morbi sui; interim non pauci reperiuntur, qui omni arte celant, causamque symptomatum morbosorum aliam assignant; subinde morbus hanc praesens praetenditur adesse a paedagogis utriusque sexus, qui ipsi quondam hoc morbo laborarunt, in teneris pueris et puerulis, subinde per suspicionem et investigationem incautam excitant morbum; saepe aegri ob hypercinesiam omnia symptomata morbi exaltant, medicusque valde attenus esse debet, ne errorem in diagnosi committat; ideo aeger saepe sollicite examinari, inspici et observari debet, habeat-ne revera profluviū e genitalibus, quando et sub quibus circumstantiis et quale locum; nam potest omni aetate per irritationem membranae mucosae urethrae et vaginae per refrigerium, per laesionem mechanicam, per calculum etc. profluviū produci mucosum, analogum gonorrhoeae, ab ea tamen quam maxime distinctum.

Gonorrhœa vera excitatur in casibus rarissimis per vitium organicum vesicularum seminalium, per exulcerationem post inflammationem inductam, per irritationem continuam a calculo prope ad vesiculos seminales haerente. Frequentissima tamen causa ejus sine ullo vitio organico est sensibilitas et irritabilitas genitalium morbose exaltata ita, ut ad irritamenta minima sive psychica sive physica citissime evigilet stimulus Veneris cum erectione et succi genitalis profusione. Hypercinesia illa excitatur subinde per causas in totum organismum agentes, per plethoram, per vitam lantam, otiosam, in juvenibus utriusque sexus robustis, in primis autem in illis, qui jam antea evacuationibus succi genitalis assueti erant, ut in viris et mulieribus, dum longiori tempore a conjugis separantur, et in illis, qui contra propensionem suam aetate virili ad coelitatum condemnati sunt. Dum in talibus pollutiones sub somno rariores locum habent, sanitatem haud laedunt, sed

evacuationes frequentes phaenomena debilitatis provocant. Frequentissime excitatur illa hypercinesia genitalium per irritationem eorum mechanicam, quae subinde jam in teneris infantibus suscipitur per nutrices, ancillas, quae genitalia in primis puerorum irritant, tardius aetate adolescentiae seducuntur saepe innocentes per alios socios corruptos, per famulos, frequentiusque hoc vitium in sexu virili extensum est, testantibus medicis in primis in Italia et Germania frequens et in sexu foemineo, apud nos adhuc rarius obser vatur.

§. 175.

Pro diversitate momentorum ennumeratorum variat prognosia morbi. Gonorrhœa symptomatica agnoscit prognosim morbi protopathici; ita quae producitur per exulcerationem vesicularum seminalium curae omni resistit, quae dependet tantum ab hypercinesia curae capax est non tantum morbus recens, sed etiam inveteratus gravioribus symptomatibus stipatus, dummodo aeger voluntate gaudeat firma ad causam morbi deinceps intermittendam, quod desideratum subinde obtineri haud potest. Tissot et Frank referunt, se vidisse infelices, qui sub ipsa præparations per ministros Religionis pro vita aeterna onaniam exercere non desistebant. Non raro per morbum diu durantem producuntur debilitates arte vix amplius tollendae, jam in sensu aliquo externo, jam in musculis voluntariis; subinde remanet epilepsia incurabilis, fatuitas, qui status morbos si non tantum per onaniam, sed etiam per coitus excessivos provocantur in sexu utroque; in primis debilitantur per morbum proiectum genitalia, initio quidem erectiones ad sunt frequentes, sed minus validae, cito contingit evacuatio succi genitalis, hinc redundunt viri impotentes, mulieres steriles, in plurimis adducitur senectus praematura ita, ut ex aetate juvenili transiliendo virilem statim pertingant in senilem, celeriter morte terminandam. Per therapiam rationalem mature adhibitam effectus noxiū tolli, et ulteriores praecaveri possunt.

§. 176.

Ad therapiam persicendam requisitum primum est, visitatio causae excitantis, scilicet irritationis genitalium; cum cautela necessaria conatur in adolescentibus vitium detegere, postea effectus ejus noxios in organismum aegro depingimus vividis coloribus, ut deterreatur a vitio ulterius exercendo; raro tamen sufficit admonitio, nisi attentio summa adhibita fuerit ad evitandas occasiones omnes genitalium irritationi faventes; ideo pueri, adolescentes et puellae de hoc vitio suspecti nunquam sine vigilia, in otio vel tenebris relinquendi sunt, continuo occupandi et sub oculo vigili tam interdiu, quam noctu retinendi. Propterea etiam minime commendari potest consuetudo adhuc vigens, pueros et adolescentes virgis caedendi, inde enim per irritationem et erectiones et pollutiones observatae sunt; non minus noxia est consuetudo, adolescentes plures in unum cubile, carcerem dictum includendi, et in otio relinquendi.

Causis excitantibus remotis therapiam ulteriore dīrigimus contra causam proximam morbi, nempe hypercinesiam genitalium, quae sustentatur subinde per plethoram, sanguinis abundantiam majorem, energiam vitae exaltatam, atque tunc indicata est methodus antiphlogistica, in primis vitae regimen antiphlogisticum, vietus tenuis, vegetabilis, pro potu aqua, lotiones corporis cum aqua frigida, etiam elysmata ex aqua frigida. Pro talibus est optima medicina ab Hippocrate commendata, nempe matrimonium, quod praescribere raro possumus; ideo commendamus vitae regimen antiphlogisticum strictum et fugam simul otii. Gonorrhoeae tamen tales energiae rariores sunt, frequentiores occurunt cum charactere asthenico erethisfico; tunc evitari debent omnia irritabilitatem totius corporis in primis genitalium exaltare valentia, et debilitatem promoventia; propterea commendamus in genere vitae regimen roborans, nec tameq multum stimulans. In morbo majorem in gradum enecto maxime convenienti cibi blandi et nutrientes, in primis post Tissot cibi lactei, nisi or-

gana digestionis debiliora. Iac responderent; tunc fuscula gelatinosa, mucilaginosa, ova recentia, carnem teneram commendamus; a cibis duris, pingibus, flatibus faventibus, acribus et aromaticis abstinentiam est; coena sit semper parca; pro potu maxime convenit aqua, debilitate majori praesente vinum vel cerevisia bona dosi minori commendatur. Nunquam aeger prius decumbat vesperi quam somno se insinuante, nec jaceat in lecto molli, plumaceo, sed in duro, nec multum coopertus, brachiis semper extra tegmen collocatis, non dorso, sed semper alterutri lateri incumbat, ante decubitum semper evacuet urinam, nam et hujus retentae irritatio pollutionem provocat; quamprimum evigilat, surgat, sitque interdiu ~~semper~~ occupatus, et quotidie suscipiat in aere puro sicco motum moderatum, non excessivum defatigantem et hypercinesiam augere valentem; objecta cuncta stimulum Veneris excitare valentia sollicito vitet. Praeter vitae regimen, sine quo cura perfici haud potest, in morbo proiectiori etiam alia artis auxilia necessaria sunt ad hypercinesiam genitalium tollendam, et quidem remedium princeps possidemus in aqua frigida; aeger quotidie mane dum surgit, sudore amplius nullo praesente aqua frigida conspergat genitalia sua, cutimque universam qbluat ope spongiae, in primis regionem sacro-lumbalem et perinaeam; lotio haec cito et sine contrectatione genitalium perficienda est, et dein cutis linteo sicco abstergenda; aestate balnei frigidi usus salutaris est. Pro usu interno commendatur a multis camphora, raro proficua; testante Neumann aura camphorae ope lintei genitalibus applicata plus praestat. Majorem efficaciam exerit liquor acidus Halleri, a Hildenbrand maxime commendatus, et hic saepe successu felici adhibitus. Gradu debilitatis majori evoluto ob statum abnormiem organorum digestionis et chylificationis saepe proficia sunt amara, aromaticae, e quibus Hufeland plurimum laudis tribuit chamomillae vulgari, remedium egregium, minime specieum, non raro herba cardui benedicti, centaurei minoris, trifolii fibrini, quassia magis profuere. Hecker commen-

dat corticem cascarillae, Horn radicem acori, Tissot decoctum corticis cinchonaes cum lacto, J. P. Frank corticem cinchonae cum extracto myrrhae aquoso et vitriolo martis artefacto. Saepe utiles sunt acidulae martiales.

Remediis internis baud sufficientibus recurrimus etiam ad externa; aqua frigida subinde non fertur ab aegris, coryzam, catarrhum, rheumatismum, enteralgiam, diarrhoeam, spasmos provocat; talibus commendamus balnea tepida, initio tantum ex aqua communi, dein roborantia, aluminosa, martialia, dum fieri potest naturalia, in eorum defectu artificialia. Magnum efficaciam exerunt balnea maritima.

Ad irritationem genitalium evitandam icommendantur machinae variae, insibulatio penis, applicatio serae apud puellas, quas tamen scopo raro respondent. In uno casu puella per onaniam in morbum gravissimum, therapiae per plures annos rebellem, conjecta sanata fuit per amputacionem clitoridis prolongatae. Juvenis a consuetudine perversa enim irritandi detentus fuit, dum praeputii superficies major lapide infernali contingretur, et exulceratio dolorifica, diu durans inducta fuisset; aliqui desperati se castrationi subjecerunt.

Morbo feliciter sublato, ad recidivam ejus impedirem dam remedium maxime congruum est matrimonium cum conjugi prudenti, non lasciva. Dum autem gonorrhoea simul cum aliis morbis complicata per eos sustentatur, tunc simul therapia contra morbos illos institui debet.

Gräfe und Walther's Journal, für Chirurgie und Augenheilkunde, Bd. VII. II. I. S. 7.

W. Kriener, (Hufeland's Journal für prakt. Heilkunde, 1827, Febr. S. 45.)

LEUCORRHOEA.

§. 177.

Leucorrhœa vocatur etiam *fluor albus*, *beneignus*, *frigidus*, *medorrhœa foeminarum insons*, *hysterorrhœa mucosa*, *bleuorrhœa vaginae vel uteri*, estque ille status morbosus, sub quo e membrana mucosa genitalium muliebrium sine syphilide secernitur liquidum mucosum quantitate et qualitate abnorme, et per vaginam effunditur. Morbus jam a Hippocrate descriptus, sed hodie frequentior, in primis in urbibus, ideo etiam ab observatoribus magis exacte investigatus.

J. Allen, Diss. de fluoris albi charactere ac notis, quibuscum gonorrhœa convenit vel differt, et utriusque curatione. Lugd. Batav. 1751.

J. Raulin, Traité des fleurs blanches. Paris. 1766.

— Abhandlung von dem weissen Fluase der Frauen, nach dem französischen bearbeitet von G. A. Riederer, mit einer Vorrede von J. C. G. Ackermann. Nürnberg. 1793.

van der Hesse, Diss. de leucorrhœa. Lugd. Batav. 1771.

J. B. J. Simon, Diss. de fluore albo. Montpessulani. 1777
Keating, Diss. de leucorrhœa. Edinburgi. 1780.

W. Trnka de Krzowitz, Historia leucorrhœae, omnis aevi observata medica continens. Viennæ. 1781.

Johnstone, Diss. de leucorrhœa. Edinburgi. 1785.

P: J. M. Zimmermann, Diss. de fluore albo. Göttingæ. 1790.

C. P. Herold, Diss. de fluore albo. Alterfii. 1790.

Gelpke, Diss. de fluore albo. Göttingæ. 1793.

J. G. Acrel, Diss. de leucorrhœa. Upsaliae. 1790.

Eschenbach, Diss. de medorrhœa muliebri. Lipsiae. 1798.

J. B. Blatin, du catarrhe utérin, ou des fleurs blanches. Paris. 1801.

C. Mansfield Clarke, Observations on those diseases of females, which are attended by discharges. London. 1814.

G. M. Sporer, Catarrhus genitalium. Viennæ. 1819.

V. Lepère, *Traité de fleurs blanches, de leurs causes, de leurs suites, et de leurs traitemens.* Paris. 1823.

Dubouchet de Romans, *Traité sur le catarrhe utérin, ou les fleurs blanches, de leurs causes, de leurs effets, de leurs traitemens curatifs et des moyens hygiéniques propres à les prévenir.* Paris. 1825.

§. 178.

Profluvium hoc indole sua semper chronicum, incipit symptomatibus tantum mitioribus, habitus aegrotae totus longo tempore sanitatem prosperam annunciat, tantum in genitalibus percipit madorem insolitum, initio tantum paucis diebus ante eruptionem et post cessationem catameniorum, tardius quantitas liquidi excreti augetur, nec tamen fluxus est continuus, in plurimis tantum mane post somnum, in aliis tantum post motum corporis vehementiorem, post cibos aromaticos, potus spirituosos, vel alias calefacientes majori quantitate ingestos observatur, effundi liquidum saepe serosum, tenue, pellucidum, albumini ovi simile, blandum, inodorum, insipidum, morbo increcente evadit liquidum albo-opacum, puriforme, flavescentia, virescens, cinereum, non raro sanguine mixtum. Morbo increcente liquidum est foetidum, acre, cutim inflammans, persentitque aegra in genitalibus pruritum molestum, sensum tensionis, ardoris, et evacuationes urinae ac alvi moleste perficiuntur, subinde nisus urinam evacuandi frequens est, sed urina tantum parca, turbida et inter dolores evacuatur; multae ob dolores aversantur coitum, non nullae tamen infelices stimulo Veneris majori, nymphomania affliguntur. Sub morbo aucto ad symptomata topica accedunt successive plura consensualia, spasmus hysterici, gastralgia, enteralgia, dyspepsia, nausea, ructus, vomititiones; assimilatio et sanguificatio redduntur imperfectae, ideo comparet habitus corporis cachecticus, pallidus, oculi languidi cinguntur anulo livido, palpebrae saepe mane œdematose intumescent, musculi languent, propriea motum corporis majorem horrent; facile tunc

palpitationem cordis persentient, quietem, otium querunt, tristes, melancholicae evadunt. Morbo diu durante fluxus catamenialis longiori tempore emanet, fluor albus tempore fluxus catamenialis est largior, et tunc nomine menstruum alborum venit.

§. 179.

Ex symptomatibus quidem tam topicis, quam universalibus leucorrhœam praesentem eo facilius cognoscimus, quod aegrae a morbo molesto liberari cupientes, symptoma sincere enarrent; sed minus sincerae sunt relate ad causas, quarum tamen cognitione ad definiendam naturam individualem profluvii est summe necessaria. In omni casu conamur eruere, sit-ne profluvium relate ad originem syphiliticum, quod ex evolutione successiva morbi saepe cum probabilitate magna innotescit; scilicet blenorhœa syphilitica in suo decursu manifestat plura stadia: inflammatorium, per unam alteram ve septimanam excurrens, quod excipit stadium relaxationis, cum secretione morbosa larga, quia per tale profluvium habitus externus laedatur, imo laetus conservatur; in leucorrhœa insonte, sine inflammatione, lente evoluta, sub profluvio aucto semper observatur habitus cachecticus, eo non obstante vi inficiendi haud praedita est, dum blenorhœa syphilitica per contagium specificum producta in aliis praedispositis per contactum idem profluvium provocat.

Leucorrhœa insonis observatur subinde apud puellas teneras, non raro apud vetulas, frequentius tamen affigit a comparitione fluxus catamenialis usque cessationem ejusdem; est dispositio subinde congenita a matre haereditate acquisita, frequentior in urbibus et in nonnullis provinciis, ut Hollandia, Polonia; exaltatur dispositio per vitam sedentariam valde otiosam, corporis fabricam teneriorem, laxiorem, per educationem moralem minus congruam, stimulum Veneris præmature provocantem. Causae autem excitantes diversae sunt, saepe irritationes genitalium mechanicae, onanis, coitus nimis frequens, partus fréquent-

tes, in primis difficiles, versionis aut instrumentorum operacti. Subinde refrigerium non tantum genitalium, sed eujusunque partis cutis, calor major, ut per carbones candentes in genitalia deductus, subinde saburra in ventriculo, vel tubo intestinali haerens, vermes per consensum profluviū provocant; rarius oxyuris vermicularis in vaginam serpendo, vel herpes e femoribus altius extensus hunc morbum excitant. Subinde provocatur antagonistice, dum profluviū aliud habituale, ut catamenia, haemorrhoides, sudor, lactis excretio in puerpera supprimuntur. Non raro est symptoma alterius morbi: scrofularum, infarctuum abdominalium, degenerationis uteri scirrhosae, fungosae, carcinomaticae, rheumatismi, arthritidis, vel efflorescentiae cutaneae e partibus externis evanidorum. Per causas has producitur secretio morbosa in membrana mucosa genitalia obducente, saepe tantum restricta ad superficiem internam labiorum majorum, saepius extenditur per partem majorem vaginae, subinde penetrat in uterus et per tubas Fallopii usque ad ovaria, quam sedem morbi per investigationem detegimus; neque tamen sine necessitate genitalia contingimus, cum ex symptomatibus ipsis sollicite collectis, per reflexionem sedem morbi probabilitate magna definire valeamus; si acgrota in vagina nullam prorsus molestiam, nullum sensum tensionis, ardoris experitur, si profluviū contingit tantum paucis diebus ante et post fluxum catameniale, si per vices recurrent dolores illis parturientium similes, post quos liquidum majori quantitate evanuantur, tunc sedes morbi in utero est. Ex symptomatibus etiam cum probabilitate definimus statum dynamico-organicum, per quem secretio morbosa sustentatur, non raro character est inflammatorius, subinde intensior, longe frequentius tamen tantum mitior catarrhosus, saepe nulla signa phlogosis detegi possunt, tantum irritabilitas membranac mucosae morbose exaltata est, quae morbo diu durante immunitur, et status asthenicus torpidus, ad paralyticum accedens evolvitur.

§. 180.

Quemadmodum natura individualis leucorrhœae varia est, ita duratio, exitus et influxus morbi in organismum variant; non raro profluviu[m] hoc constituit morbum leviorum, transitorium, ita in puellis tempore pubertatis ante fluxus catamenialis evolutionem observatur profluviu[m] mucosum, sponte dein evanidum; ita post conceptionem primis mensibus e vagina partim ob congestionem majorem, partim ob compressionem per uterum gravidum liquidum mucosum effunditur, graviditate crescente sponte cessat, in paucis tantum toto tempore graviditatis profluviu[m] mucosum locum habet, partu subsecuto disparens. Subinde in puerperis cessante fluxu lochiorum leucorrhœa larga comparet, in primis in mulieribus, quae licet lacte abundant, tamen prolibus ubera denegant. Non raro in matribus etiam lactantibus continuat secretio muci largior ex utero et vagina, us effectus partus et fluxus lochiorum, quae leucorrhœa puerarum simplex nullis stipata periculis sola cura munditiae, pharmacis nullis adhibitis, per autocratiam naturae sanatur. Nec tamen leucorrhœa omnis morbum ita mitem constituit, saepe profluviu[m] neglectum vel perverse tractatum evadit chronicum, aegrotam per annos et tota vita molestat, non tantum femora defoedit, sed etiam symptomata alia, tam topica, quam universalia excitat; aeger evadit pallida, debilis, affligitur dyspepsia, dyspnoea, cephalaea, sensuum obfuscatione, cordis palpitatione; saepe evolvuntur symptomata hysteriasis, melancholiae; ob statum morbosum topicum incrementem conceptio haud contingit, et si locum habet, facile abortus subsequitur; genitalia redduntur morbose irritabilia, inde nascitur subinde nymphomania, diathesis inflammatoria, facile in metritis chronicam transiens, quae non raro degenerationes fatales producit, connexas cum tabe, febri hectica, hydrope.

§. 181.

Antequam therapiam leucorrhoeac instituimus, per investigationem exactam definire conamur, sit-ne morbus cum syphilide complicatus, tunc enim uterque per methodum anti-syphiliticam tolli potest. Labe syphilitica nulla praesente causas excitantes profluvi removere studemus; ideo dissuademus vitam sedentariam, lectum mollem et calidum, phantasiae exaltationem per representationes lascivas, potum calefacientem et irritantem, ut potum spirituosum et coffeeae; in primis dissuademus refrigerium et irritationes genitalium quoconque modo susceptas; commendamus motum corporis moderatum et victum blande nutrientem. Si forte ad morbum generandum concurrunt morbi alii, ut helminthiasis intestinalis, scrofulae, herpes, rheumatismus, arthritis, tunc morborum horum cura prius suscipienda est. Causis excitantibus remotis per curam ulteriorem intendimus statum dynamico-organicum membranae mucosae vaginae et uteri normalem reddere, ut secretio etiam talis evadat, quem scopum pharmaco uno specifico obtinere haud valemus. Olim docuerunt, profluvi hucus esse symptoma cacochymiae acidae, ideo curam perfici medicina absorbente, ut pulveribus lapidum cancerorum, quod remedium in nonnullis casibus proficuum, in longe pluribus effectu salutari destitutum observatum est, ideo commendata fuerunt remedia diversissima.

Omnia symptomata nos convincunt, causam proximam leucorrhoeae esse speciem inflammationis catarrhosae, et ideo in genere methodum anti-phlogisticam quam maxime indicatam esse. Sanguinis evacuatio universalis, nisi plethorae verae, vel metritidis symptomata evoluta essent, rarissime, sanguinis evacuatio topica non raro suscipi debet, saepius methodus mitior antiphlogistica, diaeta tenuis, decocta emollientia, emulsiones, quibus jungimus nitrum, cremorem tartari, carbonatem magnesiae, arcanum duplicatum, salem mirabilem Glauberi cum fomentis et caplasmatibus emollientibus, indicata est.

§. 182.

Nec tamen leucorrhœa omnis methodo anti-phlogistica sanari potest. Saepe in morbo diutius durante nulla vestigia inflammationis energicae, sed potius debilitatis erethisticae reperiuntur; et ideo conamur et irritabilitatem morbose exaltatam, et debilitatem imminuere, praeter evitatem sollicitam causarum excitantium saepe ad scopum utrumque attingendum sufficit solum vitae regimen roborens, usus aeris puri siccii, motus corporis moderatus, vietus nutriende blandi aromaticus, vinum bonum antiquum, exhilaratio mentis; ad irritabilitatem autem imminuendam efficacem medicinam possidemus in aqua frigida, qua manœ corpore haud amplius sudante femora, genitalia ac regio pubis, imo cutis universa abluuntur; aestate etiam balneum frigidum adhibetur. His haud sufficientibus etiam pharmaca in auxilium vocamus; in plurimis casibus sustentatur profluviu[m] per debilitatem organorum digestionis et chylificationis, ideo amara, stomachica dicta, ut herba absynthii, centaurei minoris, trifolii fibrini, radix gentianæ, lignum quassiae utilia sunt remedia. Saepe desiderantur majori efficacia praedita, amaro-aromatica, adstringentia tonica, ut radix acori, cortex cascarillæ, radix ratanhiae, gummi-resinae, ut myrrha, balsamum peruvianum, copaivæ, carpathicum, terebinthina. Saepe profuit cortex cinchonæ forma diversa adhibitus, saepius adhuc praeparata ferri, effectum salutarem habuerunt in primis sulfas ferri artefactus, et acidulae martiales, ut in Germania Pyrmontanae, Spadanae, Driburgenses, Schwalbachenses, apud nos in casibus mitioribus Füredienses, Rankenses et Parádienses, in gradu debilitatis majori Bartenses, Lublovienses, et Buziásenes. Sub usu remediorum roborantium semper attentionem dirigimus in effectus eorum, ne statum inflammatorium provocemus. Subinde sustentatur leucorrhœa in aegris hysterics per sensibilitatem exaltatam, quæ imminuit per remedia narcotica, ut extractum hyoscyami, cicutæ, aquam laurocerasi, fabam pichurim.

Saepe praeter remedia interna necessaria sunt etiam remedia externa, in omni casu propter munditiem lotio aqua pura saepius est suscipienda, dumque profluviū sustentatur per statum asthenicum lotiones roborantes cum vino, spiritu vini, vel decoctis adstringentibus instituantur, imo injectiones ex solutione sacchari saturni, vitrioli zincī, cupri, ferri, e solutione causticorum, ut lapidis caustici, lapidis infernalis, mercurii sublimati corrosivi in vaginam et uterum commendantur, quae per obstetricem vel obstetricatorem valde caute suscipi debent, secus longe plus nocent, quam prouident; propterea saepel in vicem injectionis commendamus spongiam mollem in eorum scissam liquidis adstringentibus madefactam, mane et vesperi vaginæ imponere, et per quadrantem, aut medium horam retinere. Subinde ad irritabilitatem morbose exaltatam imminentiam fomenta, cataplasmata, balnea, clysmata emollientia, emollienti-narcotica indicata sunt. Contra debilitatem autem balnea roborantia, ex solutione aluminis crudi, globulorum martialium, thermae naturales martiales, uti Vichnyenses optime scopo respondent. In casibus nonnullis fumus e gummi-resinis in vaginam derivatus, motus in equo profluviū molestum sustulerunt.

Morbo superato ad recidivam molestam evitandam, causæ nocentes longo tempore evitari debent.

GALACTIRRHOEA.

§. 183.

Galactirrhœa est profluviū lactis excessivum, valitudinem mulieris manifeste labefactans, subinde in matribus et nutricibus lactantibus sese offerens. In plurimis quidem natura ita benigna fuit, ut lactationem sine omni periculo sanitatis suae perficere possint; si tamen mater jam a nativitate, vel ob morbos graves praegressos, vel ob animi moerorem diu durantem, valde debilis est, tunc fa-

cille evolvitur galactirrhoea, eo magis si proles sit robusta, nimis multum sugat, si mater aut nutrix eodem tempore plures proles lactet, per ipsam suctionem frequentem hypercinesia mammarum exaltatur, et chylo in sanguinem translato maxima pro parte lac generatur, ideo nutritio corporis reliqui decrescit, et saepe lac sine suctione, sine irritatione ulla papillarum mammae copiosum continuo effluit, dicitur galactirrhoea completa, dum autem lac sponte non effluit, tantum dum infans sugit, sed tamen vires mulieris manifeste decrescent cum emaciacione corporis, dicitur galactirrhoea incomplete. Saepe negrota longo tempore gaudet appetitu bono et tamen emaciatur, conqueritur de capitis doloribus, vertigine, dyspnoea, cordis palpitatione, in primis dum motus aliquos corporis suscipere tentat; accedunt saepe horripilationes, calores fugaces, sensuum externorum, in primis visus obfuscationes; saepe statim ad exordium, saepe sub ulteriori morbi decursu functiones organorum digestionis et chylificationis perturbantur ita, ut appetitus cibi sit prostratus, cum gastralgia, enteralgia, alvo irregulari, ut plurimum obstipa. Profluvio longiori tempore perdurante comparent tremores, subinde spasmi, tandem symptomata febris hecticae, saepe tusses violentae, initio siccae, dein cruentae, et nisi therapia rationalis succurrat, phthisis pulmonalis, hydrops aegrum enecant, qui effectus noxii facilius comparent in mulieribus teneris, jam per morbum alium gravem enervatis, habitu phthisico praeditis, vel pneumonorrhagias subjectis.

§. 184.

Per therapiam rationalem effectus noxii proufluvii hujus saepe saepius feliciter tolli possunt. Ut causa excitans removeatur, ablactatio necessaria est, quae tamen subito haud instituenda, ne lac copiosum in mammis congestum stagnet, et inflammationem excitet valde molestam, facile in suppurationem et exulcerationem taediosam terminandam, vel ne ob evacuationem, cui natura jam assueta est

impeditam contingat metastasis periculosa, subinde etiam letalis; ideo commendamus, ut ubera semper quotidie rarius exhibeantur proli, alimentis congruis concessis. Simil a statu individuali mulieris desumimus indicationem curae; hypercinesiam et in mammis, et in organismo toto exaltatam adnitimur imminnere. Non raro aegrota ob hanc hypercinesiam experitur symptomata febris, calorem siccum, sitim majorem, pulsum frequentem, genarum ruborem, respirationem velocem, tussiculam sicciam, subinde sputis cruentis nexam, quae omnia indicant activitatem cordis et arteriarum morbose exaltatam, tamen sanguinis evacuatio rarissime est instituenda; observationes tristes docuerunt, eam in plurimis casibus fuisse noxiam, phaenomena debilitatis ita increvisse, ut aegrota amplius sanari haud potuerit. In tali casu ad irritabilitatem morbose exaltatam imminuendam indicatum est vitae regimen anti-phlogisticum, decoctum emolliens, nitrum, tremor tartari, alvo obstipa praesente purgantia anti-phlogistica, ut arcanum duplicatum, sal amarus, sal mirabilis Glauberi, tubo intestinali torpidiore existente folia sennae, radix rhei cum dosi moderata calomelae. Alvo haud obstipa ad hypercinesiam imminuendam proficua sunt acida, saepe acidum tartari, saepe liquor acidus Halleri in decocto emolliente. Gradu debilitatis majori evoluto, ablactatione jam peracta, vietas successive magis nutriens convenit, cum usu pharmacorum blandiorum amarorum, stomachicorum, aer purus siccus, ruralis, acidulae alcalinae, ut Selteranae cum lacte; his haud sufficientibus, lichen islandicus, cortex cinchonae, praeparata martis, extractum myrrae aquosum, saepe morbi vestigia omnia delent.

R E T E N T I O N E S.

§. 185.

Retentiones seu Epischeses vocantur illi morbi, in quibus liquida in statu normali excerni solita retinentur vel ex integro, vel pro parte; et quidem saepe retinentur profluvia cruenta, ut catamenia, lochia, haemorrhagia narium habitualis, fluxus haemorrhoidalis; vel retinentur liquida secreta, mucus, alvus, bilis, urina, calculus, ideo referuntur ad hunc ordinem morborum 1mo retentiones cruentae, 2do retentio muci, 3tio obstipatio alvi, 4to icterus, 5to retentio urinae, 6to calculus, 7mo arthritis.

Morbos hos singulos cognoscimus ex symptomatibus peculiaribus, quae praeter liquidorum diversorum excretionem impeditam varia observantur pro diversa constitutione individuali aegri, pro diversa intensitate et complicatione morbi, in primis autem pro diversitate momentorum pathogeneticorum.

§. 186.

Medici multi omni tempore morbos complures, aliqui omnes repetebant a retentionibus, ideo remediorum evacuantium omni aervo magna fuit laus, cumque viderent retentiones varie modificatas esse, ideo studio omni conatis sunt causas earum eruere, stabilitaeque sunt sequentes:

1mo. Emphraxis, dicitur ille status morbosus, in quo lumen vasis, vel canalis, vel ductus secretorii, aut excretorii secus pervium per aliud corpus ita repletum est, ut motus liquidi normalis impeditus sit cum sanitatis perturbatione; distinguiturque relate ad gradum infarctus, dum motus liquidi adhuc aliquis locum habet, sed lentior illo, qui ad statum normalem requiritur; obstructio

autem gradus morbi altior est, ubi motus liquidi ex integro impeditus est. Emphraxis talis inducitur saepe per liquida propria, spissa et nimis densa reddita, ita subinde per fibrinam morbose secretam et in polypum formatam obstruuntur vasa sanguifera, trachea in tracheitide acuta infantum, subinde ureteres et urethra. Non raro emphraxes producuntur sine inflammatione praegressa per corpora peregrina, in canalibus vel ductibus haerentia, sic subinde meatus auditorius externus, vel cavum narium obstruuntur per intrusos lapillos, semina etc. subinde trachea vel oesophagus obstruuntur per corpora peregrina illapsa, tubus intestinalis per focces valde induratas, per glomeres verium convolutos; ita obstruuntur ductus choledochus per calculum biliosum, ureteres et urethra per calculum urinarium.

2do. Stenochoria seu aretatio seu incrassatio membranarum canalem vel ductum constituentium, ita ut ipsum lumen canalis imminuatur, subinde ex integro deleatur. Talis incrassatio frequentissime observatur in urethra post urethritis neglectam, vel male curatam; sed observatur etiam in aliis ductibus se- et excretoriis, in ipsis vasis sanguiferis, imo et lymphaticis, et quidem producitur frequentissime per inflammationem, sub qua vasa minima in membranis eorumdem distributa dilatantur, morbose nutritur et fibrina morbose generata haud resorbetur.

3to. Thipsis seu compressio, dum motus liquidi per canales impeditur per compressionem externam mechanicam, ut per ligaturam extus injectam, per vestimenta areta, thoracula, per adipem copiosum, tumorem vicinum, cysticum, hydropem, abscessum, herniam, prolapsum, os fractum vel luxatum.

4to. Synizesis seu collapsus, dum canales, ductus, vasa collabuntur, quae ob defectum liquidi vacua sunt, ut contingit post evacuationem omnem nimiam liquidorum, post haemorrhagias profusas, post aquarum in hydrope nimis copiosarum evacuationem cito susceptam, post inediem, post partum cito peractum foetus majoris vel gemellorum.

5to. *Sympysis seu concretio*, dum ductus et canales concrecent, subinde per vitium congenitum, ut in intestino recto vel vagina, vocatur *atresia*; saepius per inflammations et exulcerationes observamus concretiones nariunt, meatus auditorii externi, ductum lacrymalium.

6to. *Contractio seu spasmus* frequenter retentiones provocat et sustentat; observatio quotidiana docet, per animi affectus, in primis terroris profluvia supprimi; aegri affectionibus spasmodicis obnoxii, hypochondriaci, hystericae facilius retentionibus laborant.

7mo. *Atonia seu debilitas vasorum*, canarium, facultatem eorum ad motus liquidorum perficiendos normales plurimum impedit.

Ad momenta enumerata pathogeniam retentionis illustrantia attendimus quidem semper, sed praeterea distinguere debemus, haereat-ne causa retentionis in organo secernente, quod nempe liquidum secernatur quantitate exigua, vel secretio omnis impedita sit, vel secretione locum habente causa retentionis sit in ipso organo excretorio, quod aut per causam quandam mechanicam obstructum, vel per incrassationem coarctatum, vel compressum, vel collapsum, vel concretum, vel spasio aut paralysi affectum est. Saepe conamur alio in causam morbi penetrare ac definire, sustentetur ne retentio per statum morbosum topicum organismi vel dynamicum, vel per statum abnormem organismi latius extensum; saepe tunc detegimus causam retentionis esse vel inflammationem, vel plethoram, vel distributionem sanguinis inaequalem, congestionem ejus majorem in unam partem, vel liquidorum quantitatem imminutam; vel qualitatem eorumdem immutatam, vel energiam vitae consumtam, statu asthenico jam erethistico, jam torpido producto.

§. 187.

Diagnosi retentionis exacta constructa valebimus etiam prognosim cum probabilitate pronunciare. Retentiones non raro sunt salutares, ita in statu asthenico saepe per au-

tocratiam naturae haemorrhagiae habituales suspenduntur; saepe per retentiones sanitas nil patitur, nam evacuatione in una parte silente per autocratiam naturae producitur analoga, vel alia in parte quadam organismi. Nec tamen omnes retentiones salutares aut innocuae sunt, saepe per retentiones morbi gravissimi producuntur, liquida excernenda pro vita amplius haud idonea dum diutius retinentur, corruptionis gradum majorem subeunt, unde partes quas contingunt, inflammant, et liquida evacuanda congeruntur in alia etiam parte; partim mechanice comprimendo, partim irritando functiones partium laedunt; inde inflammations, dolores, convulsiones, paralyses, cutis efflorescentiae, cachexiae, subinde mors subitanea a retentionibus inducuntur, nisi therapia rationalis in auxilium vocata fuerit.

§. 188.

Ad curam rationalem suscipiendam conamur causas excitantes retentionem per therapiam congruam removere, dein vero contra statum dynamico-organicum tam topicum, quam universalem retentionem sustentantem dirigimus ad dicationem nostram; si status ille fuerit energicus inflammatiorius methodum anti-phlogisticam, si vero fuerit status asthenicus methodum stimulantem, roborantem adhibebimus, scrupulose distinguendo, sit-ne status praesens asthenicus cum erethismo vel torpore nexus.

Quia singula retentio per peculiaria momenta excitatur, et sustentatur, peculiarem etiam curam requirit, ideo singularum naturam in specie investigare debemus.

RETENTIONES CRUENTAE.

RETENTIO CATAMENIALIS.

§. 189.

Retentio fluxus catamenialis vocatur ab auctoribus amenorrhoea, menostasia, ischomenia, significatque statum illum morbosum, sub quo fluxus catamenialis ad sanitatem individualem necessarius aut non comparet, aut comparet quidem, sed parce, guttatum, vel catamenia in ipso fluxu constituta subito supprimuntur; ideo distinguitur retentio emansionis, et suspensionis seu suppressionis. Nec tanien absentia fluxus catamenialis semper indicat statum morbosum, ita ante annos pubertatis ad statum normalem pertinet absentia omnis haemorrhagiae in genitalibus; post annos pubertatis genitalia majorem perfectionis gradum adepta vitam suam antea latentem manifestant per haemorrhagiam omni quarta septimana revertentem; quod si fluxus catamenialis nullus compareat post annos pubertatis, tunc suspicio fundata locum habet de statu morboso; tempus quidem, quo catamenia comparent, variat pro diversa evolutione organismi. Sub tropicis evolutio omnis vitae organicae alacrior est, et catamenia jam anno aetatis septimo usque octavum conparent, apud nos et sub zona temperata omni, anno aetatis decimo quarto usque decimum sextum se annunciant; in pueris, quae in aere puro ruri occupantur labore duro, sanguis impenditur in nutritionem corporis, ideo fluxus catamenialis comparet serius, decimo octavo usque vigesimum annum aetatis; in urbibus, ubi puellae sub educatione molli plurimum sedent, stimuli varii tam psychici, quam physici phantasiam earum exaltant, genitalia irritant, ibi fluxus catamenialis citius, non raro jam anno aetatis undecimo usque duodecimum observatur. Dum annis pubertatis superatis fluxus catamenialis non comparet, sa-

nitate puellas illaes remanente, tunc talis retentio morbos non est, sed dum organismus jam plene evolutus est, et sanitatis suae laesionem persentit non ab alia causa, quam a retentione fluxus catamenialis, tunc vocatur amenorrhoea emansionis, vel cum J. P. Frank a. tiruncularum. Dum fluxus catamenialis jam praesens fuit, sed non revertitur justo tempore, vel tantum parva quantitate, tunc vocatur a. incompleta, circumscripta, stillatitia; dum nullus fluxus revertitur, tunc dicitur a. completa vel menostasia; dum in ipso fluxu subito supprimuntur catamenia, dicitur a. suspensionis, suppressionis. In genere tempore graviditatis et lactationis silent catamenia ita, ut tunc retentio ad statum normalem pertineat, numeraturque ad casus rariores, ubi mulier catamenia non habuit, nisi conceptione subsecuta, et tunc tempore graviditatis et lactationis omni mense comparuit fluxus catamenialis, extra graviditatem siluit.

Ludvig, Diss. an foemina sine catameniorum fluxu perfida frui possit sanitate. Lipsiae. 1740.

R. Dobson, Diss. de amenorrhoea. Edinburgi. 1771.

J. E. A. Koch, de morbis sexus elegantioris, et vitiis mensium. Halae. 1770.

Boemer, Diss. de suppressione mensium, ejusque therapia periodice instituenda. Halae. 1782.

T. Spens, Diss. de amenorrhoea. Edinburgi. 1784.

J. C. N. Niemann, Diss. de amenorrhoea, seu de fluxus menstrui retentione et suppressione. Chilon. 1787.

Fischer, Diss. de mensibus suppressis. Göttingae. 1793.

Hennig, Diss. de amenorrhagia. Francofurti. 1800.

A. Royer-Collard, Essai sur l' aménorrhée, ou suppression du fluxus menstrual. Paris. 1802.

H. C. A. Osthoff, Untersuchungen über die Anomalien der monatlichen Reinigung. Lemgo. 1804.

B. Mague, Diss. sur l' amenorrhée. Paris. 1808.

K. T. Krähe, Diss. de pathologia catameniorum. Lipsiae. 1820.

M. Steinthal, Diss. de menstruorum tam normali, quam abnormali decursu. Berolini. 1821.

§. 190.

Diagnosis amenorrhoeae non est semper facilis; saepe quidem puella vel mater vel curam ejus gerens mulier tempore pubertatis superato nullum adhuc locum habuisse fluxum catameniale, et inde enata esse varia phaenomena morbosa sincere referunt, non raro tamen puellae et mulieres graviditatem forte praesentem celant affirmantes, se fluxum catameniale nunquam habuisse, vel illum quin virum noscerent post diversas causas, saepe ignotas emansisse; ne errorem committamus in diagnosi et therapia, symptomata omnia successive evoluta solerter colligimus, et inter se combinamus. Saepe a fluxu catameniali retento inducuntur phaenomena morbosa partim topica in genitalibus et illorum vicinia, partim in reliquo organismo, rarissime constantia, sed omni quarta septimana revertentia, quae consistunt in primis in moliminibus catamenialibus; mulier nempe experitur calores fugaces, capitis gravitatem, subinde dolorem intensem, ardorem in pelvi, regione pubis, hypogastrica, sacrali, perinaea, quae regiones a sanguine congesto evadunt tensae et tumidae, alvi et urinae evacuationes impediuntur, appetitus cibi deletur, per consensum nausea, vomitatio, vomitus, dyspnoea, cordis palpitatio, in non-nullis spasmi hysterici jam mitiores, jam graviores producuntur, quae symptomata diversa, postquam per dies quinque usque octo duraverunt, sanitate relative bona restituta, disparent sed post quatuor septimanas incommoda eadem se insinuant. Non raro in puellis cum retentione catameniali evolvitur chlorosis, quae tamen cum amenorrhoea non est essentialiter nixa, ideo rectius ad cachexias refertur. Per retentionem sanguinis evacuandi excitantur saepe dolores intensi, cephalaea, hemicrania, odontalgia, enteralgia, gastralgia, subinde dolores lacerantes articulorum, rheumatismo vel arthritidi similes, subinde provocantur spasmus diversae formae et extensionis, non raro paralyses diversarum partium corporis, in primis visus et auditus, subinde inflammationes periculosae: encephalitis, ophthalmitis, peripneumonia, enteritis etc.

Subinde ob congestionem sanguinis majorem in encephalon, enascuntur sopores, pervigilia, vesaniae, subinde efflorescentiae cutaneae, in primis erysipelas faciei periodicum, saepe profluvia alia, in primis cruenta, ut epistaxis, stomatorrhagia, haematemesis, diarrhoea cruenta, haematuria vel sudor cruentus.

Postquam fluxus catamenialis per triginta annos duravit, in genere apud nos circa annum aetatis quadragesimum quintum cessat, rarius tantum usque annum quinquagesimum vel sexagesimum excurrit, et non raro post hanc emansio nem mulier sanitate gaudet meliori; in multis tamen mulieribus per annos complures ob retentionem sanguinis inducuntur varia symptomata morbosa, dyspnoea, cephalaea, pervigilium, dolores lacerantes articulorum, spasmi, pruritus genitalium, qui irritatione in primis accidente transit in dolorem, subinde inflammationem uteri acutam vel chronicam, quae producit secretionem morbosam muci puriformis, acris, foetidi, vocaturque status hic morbosus amenorrhoea senescentium seu vetularum.

§. 191.

E symptomatibus attenta mente collectis et inter se combinatis praesentem amenorrhoeam cognoscimus, ad maturam tamen individualem desiniendam in singulo casu etiam causae retentionis hujus exquiri debent. Non raro causa est in vitio organisationis genitalium; in casu rarissimo defuit uterus, licet et defectu tali praesente fluxus catamenialis locum habuerit per vasa vaginae; longe frequentius tamen eum defectu uteri connexus est defectus fluxus catamenialis, et puellae hoc vitio laborantes sunt in toto suo organismo valde debiles et imperfectae, vel organismo magis evoluto habent fabricam corporis virilem, pectus complanatum, mammis parvis tectum, ossa crassiora, vocem profundorem, in moribus suis characterem magis virilem ostendunt, stimulo Veneris nunquam tentantur, subinde mystaces et barbam habent, vocantur viragines. Sed etiam utero debite efformato subinde fluxus catamenialis non comparet, licet secretio illius in utero locum habeat, sed eva-

euari non potest, quia labia genitalium sunt concreta, vel vagina clausa per membranam hymenis non perforatam, celulosam densam vaginam expletam, atresia haec vaginae est frequentius congenita, rarius post nativitatem per vulnus, vel exulcerationem inducta; in tali atresia congenita observatum est pueras annis pubertatis superatis persensisse omni quarta septimana molimina catameniorum, cum turgore genitalium, fluxu nullo comparente, et per sanguinem omnium mense secretum et in utero accumulatum tumor abdominis semper increscens inductus est, ut sic non raro puellae innocentes in suspicionem graviditatis inciderint. Subinde per indurationem uteri impeditur secretio cruenta, frequentius per indurationem colli uteri ab inflammatione acuta vel chronica residuam os uteri maxima pro parte clauditur, et sic excretio sanguinis impeditur. Subinde per obliquitatem uteri os ejus tegitur, per excrescentias, polypum, varicem, hydatides, herniam, prolapsum; rarissime per aneurysma vagina obstruitur, atque inducit amenorrhoea rarius completa, frequentius incompleta, ad cujus causam detegendam semper necessaria est investigatio genitalium per obstetricem expertam, vel potius per medicum obstetricatorem.

Saepe sine omni vitio organico per solum statum dynamicum abnormem producitur amenorrhoea, estque status talis dynamicus totius organismi subinde energicus, plethoricus, sthenicus, qualem observamus in puellis cum habitu totius corporis sano, robusto, toroso, bene colorato, quae vitam ducunt lautam; in his sanguis majori quantitate praeparatus impeditur in nutritionem majorem corporis reliqui, in genitalibus autem ob defectum irritabilitatis haemorrhagia periodica non comparet. Talis amenorrhoea energica occurrit etiam in mulieribus sanis et robustis, in primis dum fluxus catamenialis jam praesens per causam qualcumque, ut aerem, potum vel balneum frigidum, vel lotionem frigidam genitalium, vel per motum corporis violentum, aromata, potus spirituosos, animi affectus vehementes, in primis iram, per irritationem genitalium, in primis per coitum, suspen-

ditur, tunc per suppressionem hanc subitaneam inducitur irritatio gravis uteri, se manifestans per inflammationem ejus, vel peritonei, vel partis alterius jam praedispositae. Talis amenorrhoea energica subinde etiam locum habet in vetulis, quae sub periodo vitae cessationem fluxus catamenialis adducente adhuc motum corporis vehementem suscipiunt, alimentis et potulentis irritantibus utuntur, animi affectibus indulgent, a coitu illa aetate jam turpi haud abstinent, tunc evolvuntur facile symptomata metritidis aenatae, frequentius chronicæ, per quam secretio morbosa muici, leucorrhœa molesta, degeneratio scirrhosa et carcinomatrica molestissima producitur.

Nec tamen amenorrhœa omnis charactere energeticus instructa est, imo longe frequentius observamus characterem retentionis hujus asthenicum jam erethisticum, jam torpidum; scilicet debilitate in organismo per quamcumque causam inducta, sicut functiones reliquæ languidiores evadunt, et nonnullæ silent, ita et fluxus catamenialis eandem sortem experit. Observamus hanc speciem amenorrhœae in puellis virginibus, quae postquam annos pubertatis attigerunt, tamen vel ob constitutionem corporis debilem, vel ob morbos praegressos evolutionem corporis sui tardiorern experiuntur; tunc per autocratiam naturae fluxus catamenialis, organismum potius debilitans retinetur; ita etiam dum corpus valde celeriter increscit, vel puella aut mulier debilitatur per animi moerorem, tristitiam, evacuationes nimias praegressas, post morbos graviores, ut febres cum charactere nervoso vel septico, post febres intermittentes diu durantes, post phthisim omnem, in primis pulmonalem, emanent catamenia.

§. 192.

Pro diversitate momentorum diversam agnoscit prognosticam amenorrhœa; saepe retentio haec per vitium organicum arti rebelle inductum incurabilis est; saepe amenorrhœa sanitatem haud laedit, imo organismo toto in statu debilitatis constituto, per autocratiam naturae producta confert

ad ipsam sanitatem restituendam. Non raro amenorrhoea diu durans excitat alios status morbosos, subinde saltem primo obtutu terribiles, ut tussim cruentam, vomitum cruentum, qui status morbosi post paucos dies iterum silent, et sanitas apparenter bona revertitur, nec tamen constans, nam amenorrhoea perdurante, omni quarta septimana, eadem symptomata morbosa renovantur. Sed saepe retentio haec est magnis periculis stipata, aegrotae non tantum doloribus ac spasmis excruciantur, sed per congestionem sanguinis producitur jam in genitalibus, jam in aliis partibus inflammatio, vel ob congestionem in parte aliqua systematis nervosi excitantur subinde convulsiones universales, paralysis universalis seu apoplexia et mors subitanea, qui noxii effectus per therapiam rationalem in plurimis casibus feliciter averti possunt.

§. 193.

Contra amenorrhœam laudantur in genere emmenagogæ, quorum plurima virtute irritante praedita non tantum inutilia, sed in plurimis casibus noxia sunt; cum natura amenorrhœæ pro diversitate constitutionis individualis et momentorum pathogeneticorum variat, ipsam therapiam variam esse oportet. Dum retentio producitur et sustentatur per vitium quoddam organicum genitalium, tunc omnis alia cura superflua et noxia est, per quam non tollitur vitium organicum; sic atresia labiorum genitalium vel ipsius vaginae, obliquitas uteri, polypus, hernia, prolapsus vaginam obstruentes per remedia mechanica, chirurgica saepe feliciter tolluntur. Sed etiam in amenorrhœa omni vitio organico destituta emmenogoga sunt noxia; nam non raro retentio et suppressio catameniorum tam in puellis, quam in mulieribus robustis excitatur per causas varias statum inflammatorium producere valentes, atque tunc ad fluxum catameniale restituendum vel provocandum methodus anti-phlogistica est indicata, praeter vitae regimen pharmaca quoque conditio nem sanguinis phlogisticam et activitatem cordis ac arteriarum exaltatam removere valentia, ut nitrum, tremor tar-

fari, purgantia anti-phlogistica dosi minori, ut arcanum duplicatum, sal mirabilis Glauberi, sal amarus. Dum per sanguinem retentum producuntur congestiones, haemorrhagiae aliae graviores, vel inflammationes topicae, tunc methodus anti-phlogistica strictior est necessaria; ad revulsionem majorem provocandam venae-sectio instituitur in pede, quod dum fieri nequit, in brachio evacuaturque pro intensitate morbi jam quantitas sanguinis minor trium unciarum, jam major librae unius. Saepe statu energico haud multum exaltato majorem efficaciam experimur a sanguinis evacuatione topica per hirudines, aut eucurbitulas cruentas, quas internae superficiei femorum, vel regioni pubis, vel sacro-coccygeae, vel perinaeae applicamus; subinde ob processum inflammatorium evolutum methodus anti-phlogistica longiori tempore continuari, sanguinis evacuatio repeti, et calomela in auxilium vocari debet.

Saepe per methodum anti-phlogisticam intensitati morbi accommodata symptomata omnia molesta removentur, sanitas relative bona restabilitur, fluxus tamen catamenialis non comparet, tunc commendamus aegrotae, ut causas amenorrhoeam producere valentes evitet, pharmaca nulla adhibeat, donec non appropinquet tempus fluxus catamenialis; tunc persentit aegra inquietudinem, pervigilium, calores et dolores, tunc iterum methodum anti-phlogisticam mitiorem adhibemus; scopo revulsionis commendamus pediluvium tepidum, fomenta, cataplasma tepida, regioni pubis et sacrali applicanda; quibus haud sufficientibus aegram imponimus semicupio tepido emollienti et vapores tales in genitalia derivamus. Nec tamen methodus anti-phlogistica debilitans ultra justos limites adhibenda est, ne status asthenicus cum retentione pertinaciiori, cachexia ac hydrope subsequatur; methodus anti-phlogistica mitior subinde per plures menses adhibenda certius ad scopum deducit. Inter remedia anti-phlogistica non raro profuit borax, vel solus vel cremori tartari junctus a scrupulo semis usque drachinam semis prouythemero exhibetur.

§. 194.

Methodus anti-phlogistica non est contra omnes amenorrhoeas indicata, character enim dynamicus retentionis non raro est asthenicus; sic in puellis teneris, annis licet pubertatis superatis, catamenia haud comparent propter constitutionem corporis debilem jam congenitam, vel propter debilitatem per scrofulas, rhachitidem aut alios morbos inductam; ita etiam fluxus catamenialis jam evolutus non raro emanet per plures menses propter debilitatem a morbis diversis, febribus diu durantibus, profluviiis aliis, vita sedentaria, animi moerore inductam, tunc autocratia naturae retinet catamenia, quorum evacuatio debilitatem augeret. In tali casu vitae regimen roborans indicatum est, motus corporis moderatus, aër purus siccus, victus animalis, potus spirituosus, exhilaratio animi, quibus haud sufficientibus etiam pharmaca applicamus, saepe sufficientib[us] blandiora amara, ut herba centaurei minoris, cardui benedicti, trifolii fibrini, radix gentianae, lignum quassiae; saepe majorem effectum praestant flores chamomillae, herba melissae, herba menthae crispae et piperitae, folia aurantiorum; non raro ob debilitatis gradum majorem martialis et cortex cinchonae in usum vocanda sunt. Robore organismi revertente, fluxu tamen catameniali haud reducto, emmenagoga, irritabilitatem genitalium torpidiorem excitantia indicata sunt, ut herba abrotani, aristolochiae, frondes sabinae, crocus orientalis, gummi ammoniacum, myrrae, galbani, asae foetidae, olea aetherea, in primis oleum destillatum sabinae, cuius guttam unam—quatuor in frusto sacchari bis per diem exhibemus; virtutem magnam possident etiam purgantia drastica, in primis aloë et helleborus, ad granum semis, unum pro nythemero exhibita; interim remedia haec, in primis sabina, aloë et helleborus magna cum cautela adhiberi debent, haemorrhagias uteri graves, inflammations, scirrum et cancrum genitalium provocant. In casibus longe pluribus amenorrhoea asthenica sanatur praeparatis ferri.

Subinde fluxus catamenialis non revertitur post usum
remediorum roborantium, quia per statum hypererethisticum
uteri provocatur status spasmodicus retentionem sustentans,
tunc antispasmodica blandiora, semicupium tepidum, fo-
menta, cataplasma, clysmata emollientia, interne infu-
sum florum chamomillae, foliorum aurantiorum, herbae me-
lissae, menthae crispae, narcotica blandiora, ut extractum
hyoscyami, tinctura castorei, spiritus cornu cervi, opium
dosi parva ad scopum deducunt.

Subinde fluxus catamenialis non comparet ob statum
torpidiorem uteri, organismo reliquo toto in statu sano con-
stituto, tunc emmenagogum optimum jam ab Hippocrate
commendatum est coitus cum viro amato; quod tamen
remedium raro commendare possumus, blandiora substitui-
mus, frictionem abdominis cum linimento volatili, cui ad-
dimus aetherem vitrioli, subinde olea destillata; in hac
specie amenorrhoeae cum emolumento adhiberi possunt equi-
tatio, electricitas, galvanismus, magnetismus et mineralis,
et animalis. Remedia haec irritantia, contra amenorrhoeam
puellarum et mulierum saepe proficia, minime commendamus
contra amenorrhoeam vetularum, cuius character dynamicus
frequentius est sthenicus, ideo irritatio omnis sollicite evitari
debet, methodus anti-phlogistica, quies magna, in primis
genitalium maxime prosunt; hac methodo symptomata mor-
bosa successive dissipantur, et degenerationes periculosae
genitalium optime evitantur.

R E T E N T I O L O C H I O R U M .

§. 195.

Retentio lochiorum seu ischolochia locum habet
tempore puerperii. Dantur quidem mulieres valde rarae, quae
nec sub partu, nec tempore puerperii profluvium ullum e
vagina experiuntur ita, ut retentio lochiorum ad sanitatem

earum individualem pertineat; in plurinis tamen partu absoluto ex utero effluit sanguis initio laete ruber, dein nigricans, saepe in grumos coactus, post tres usque octo dies litorae carnis similis, postea albo-opacus quasi puriformis, tandem mucosus lymphaticus, tertia usque sextam septimanam cessat. Quantitas, qualitas et duratio fluxus lochialis variat pro constitutione individuali mulieris et pro circumstantiis in eam influentibus; dum post partum statim haemorrhagia magna locum habet, vel dum mulier ipsa protein lactat, tunc in genere fluxus lochiorum est parcior et citius cessat, estque profluviū hoc ad statum sanitatis mulieris necessarium; per conceptionem uterus in statum inflammatorio similem conjicitur, per quem membrana decidua Hunteri generatur, vasa uteri extensa omnia sanguine repletur, partu absoluto post separationem membranae deciduae et placentae status uteri in normalem deducitur per secretionem lochiorum, quorum retentio sanitatem vario modo laedere potest.

§. 196.

Subinde secretio lochiorum locum habet, sed evacuatio eorum impedita est, tunc uterus extenditur in molem maiorem, et partim ob compressionem, partim ob irritationem excitantur symptomata morbosa, alvi et urinae evacuatio impeditur, respiratio difficilior redditur, per consensum cephalaeae, nauseae, vomititiones excitantur, et si retentio diu duraverit, facile metritis, ex corruptione lochiorum putrescentia uteri et febris cum charactere septico fatalis exoriuntur. Subinde lochia non comparent, quod secretio illorum haud contigerit, tunc a sanguine in corpore retento producuntur congestiones morbosae, subinde haemorrhagiae conspicuae vel occultae, sanguis effunditur in cavum pectoris, abdominis vel cranii, ut plurimum eventu letali. Dum decursum totius puerperii diligenter observamus, symptomata morbosa omnia rite colligimus, et haec post lochiorum emansionem vel suppressionem evoluta fuisse intelligimus; tunc cum ratione declaramus, retentionem lochiorum mor-

hosam esse, et ut therapia rationali tollere valeamus, oportet etiam causas retentionis hujus specificae exquirere.

§. 197.

Ad causas ischolochiae definendas subinde necessaria est investigatio genitalium, nam lochiorum in utero secretorum evacuatio impedita est per diversas causas mechanicas, per situm uteri obliquum, os uteri abscondentem; subinde obstruitur os uteri per partem placentas vel membranarum ovi residuam, per sanguinem coagulatum, per intumescentiam colli et oris uteri, vel vaginae, ob statum inflammatorium jam mitiorem, jam intensiorem, quem excitavit partus difficilis, caput foetus incuneatum, obstetricatio rudior sub inculta applicatione instrumentorum, forcipis vel vectis. In rarioribus casibus clauditur os uteri per spasmos, qui in puerperis hystericis facilius excitantur statim post partum per animi affectus vehementes, terrorem, iram, rarius per gaudium magnum. Subinde status paralyticus uteri evolvitur, sub quo contractiones ejus omnes silent, hinc dilatatus manet, quin lochia evacuentur. Non raro lochia haud effluunt, quia secretio eorum in utero impedita est vel ob statum morbosum uteri jam ante conceptionem praesentem, et sub gravitate auctum, quod induratio in parte uteri adsit post partum increscens, vel quod inflammatio in parte aliqua uteri evoluta fuerit, vel quod puerpera alio morbo, jam phlogosi intensa, jam profluvio alio profuso, ut vomitu, diarrhoea vel cholera vel febri affecta sit, cuius symptoma saepe retentio lochiorum constituit.

§. 198.

Per diversa momenta nosographica ac nosogenetica determinatur etiam prognosis retentionis lochiorum; dum causa illius excitans est obstaculum mechanicum facile removendum, vel febris mitior, tunc ischolochia ad morbos leiores pertinet. Non raro periculis jungitur magnis, dum symptoma constituit metritidis, vel febris puerperalis in-

tensionis, vel paralysis uteri, tunc in plurimis casibus letalis est, nisi therapia rationalis cito adhibita fuerit.

§. 199.

Ad curam perficiendam conamur causas excitantes praesentes removere, ita grumum sanguinis, vel partem placentae aut membranarum ovi, os uteri obstruentes digito removemus, partem residuam secundinarum extrahimus, sanguinem coagulatum fomentis et cataplasmatibus emolliimus, obliquitatem uteri per situm congruum mulieris et dungi auxilio tollimus. Saepe obstaculum mechanicum nullum detegi potest, sed secretio et excretio lochiorum impeditur per statum dynamicum abnormem, et quidem non raro inflammatorium, provocatum per partum difficiliorum longiorum, per laesionem uteri mechanicam, per animi affectum, iram vel gaudium, per refrigerium, per ingesta alimenta ac potulenta nimis copiosa, vel irritantia, spirituosa. Saepe gradus inflammationis est minor cum febri exigua, et tunc mitior methodus anti-phlogistica jam scopo respondet, ut quies corporis et animi, temperatura externa aequabilis, victus tenuis, decocta emollientia e radice althaeae vel seminibus hordei, ubi fieri potest lactatio, simul externe abdomini, regioni pubis et perinaceae imponimus fomenta et cataplasma emollientia; alvo obstipa praesente commendamus blandissima purgantia, arcanum duplicatum, cremorem tartari. Saepe blandiori huic methodo non cedit morbus, dolores intensi divexant regionem pubis, sacralem et majorem partem abdominis, initio per vices remittentes, iterum recurrentes, dein continuo, cum alvi et urinae excretionibus impeditis, saepe dolorificis, cum febri valida, calore, cephalaea, pervigilio, tunc methodus anti-phlogistica strictior indicata est, saepe sanguinis evacuacionem topicam per hirudines 12—30, regioni pubis, perinaceae vel sacrali impositas utilissime suscipimus, et fluxum lochiorum, evanidis symptomatibus ominosis, restituimus. Saepe scopum omnem haud assequimur, symptomata mitigantur, fluxus lochiorum aliquis, sed parvus comparet, tunc meth-

das anti-phlogistica initior diutius continuari debet, vitae regimen strictum, interne decocta, externe cataplasmata et clysmata emollientia adhibemus, alvum obstipam manu, pulpa prunorum, salibus purgantibus anti-phlogisticis, arcano duplicato, his haud sufficientibus calomela reseramus, Symptomatibus inflammationis iterum caput efferentibus sanguinis evacuationem topicam secunda, subinde tertia etiam vice repetimus. Diathesi inflammatoria in gradu intensiori existente sanguinis evacuationem universalem instituimus.

§. 200.

Methodus nunc laudata observationibus felicibus probata non est contra omnem ischolochiam indicata; nam saepe character retentionis talis dynamicus minime inflammatoryus, tantum spasmodicus est, ob irritabilitatem morbose exaltatam in muliere teneriori, temperamento sensili praedita, jam tempore pubertatis spasmis affecta; per partum difficilem, per animi affectum, in primis metum, terorem, per refrigerium forte admissum, per evacuationes qualescumque maiores excitatur spasmus vel in ore uteri, vel in ipsis vasis uteri, sicque secretio et excretio lochiorum impeditur; tunc methodus anti-phlogistica nocet; quae sensibilitatem ac irritabilitatem morbose exaltatam immnnere valent, ad seopum salutarem deducunt, ut quies corporis et animi, fomenta, cataplasmata, unguenta emollienti-narcotica; ita saepe praescribimus: unguenti althaeae unciam unam, unguenti cicutae unciam semis, ut omni tertia hora abdomini inungatur, vel si abdomen pressionem non ferat, illiniatur linteo, et moderate calidum imponatur abdomini, tegatur fomento sicco calido; doloribus intensioribus praesentibus unguento eidem addimus aetheris vitrioli, tinctu-rac opii simplicis ana drachmam unam; vel potius ordinamus pulverum specierum emollientium, seminum lini, herbae cicutae ana libram unam, cum aqua coquatur in pul-tum, et cataplasma applicetur abdomini, regioni sacrali et perinaeac, renoveturque omni secunda hora; interne exhibemus infusum tepidum et tenue florum chamomil-

iae vulgaris vel tiliae vel herbae melissae, foliorum aurantiorum; dolore spasmodico tamen perdurante ordinamus emulsionem oleoso-gummosam, ad uncias tres cum opii puri grano semis, omni bihorio uno cochleari, et clysmata tepidum ex infuso flororum chamomillae vulgaris.

Morbo graviore evoluto cum retentione lochiorum sub symptomatibus febris puerperalis therapia varia adhibenda erit pro charactere specifico dynamico febris ipsius. Praeter remedia physica in puerperis semper ratio peculiaris haberi debet ipsius psyches, omniaque ita coordinanda, ut animus tranquillus in puerpera conservetur, removendo causas cunctas, animi affectus excitare valentes.

RETENTIO EPISTAXIS.

§. 201.

Retentio haemorrhagiae nasalis, post *Swedia* uer *ischemia nasalis*, frequentius occurrit aetate teneriori puerili et adolescentiae, atque senili, rarius aetate juvenili et virili, frequentius in sexu virili quam foemineo, nempe pro ratione frequentiae epistaxis ipsius. In morbo incipiente observantur symptomata eadem, quae annunciant epistaxis; calor totius corporis major cum inquietudine, cephalaea gravativa, pulsatoria, obstructione et pruritu nasi a sanguine in membrana Schneideriana congesto, cum oculorum scintillatione, visu subinde obfuscato, aurium tinnitus, susurru, sternutatione, quae symptomata secus haemorrhagia comparente dissipata sunt, nunc autem ob haemorrhagiam hanc jam habitualem impeditam perdurant, imo augmentur, cephalaea evadit intensa, accedit vertigo, visus obfuscatur magis, subinde amaurosis; auditus redditur difficilis, imo subinde cophosis, aeger laborat pervigilio, vel est soporosus, motus linguae impeditur, ideo balbutit, subinde impeditur etiam deglutitio; non raro retentione epistaxis continuata exoriuntur haemorrhagiae e cavo oris,

trachea, pulmonibus aut ventriculo, subinde inflammatio-
nes, dolores, spasmi, paralyses, apoplexia.

§. 202.

Si scimus aegrum subjectum esse epistaxi, prodromisque haemorrhagiae hujus praegressis profluvium cruentum haud locum habuisse, vel haemorrhagiam incipientem cito suppressam symptomata morbosa excepisse, tunc cum summa probabilitate concludimus ad praesentiam ischemiae nasalis; ut tamen diagnosis nostra clarior evadat, et momenta pro therapia rationali suggerat, exquirimus etiam causas retentionem hanc provocantes et sustentantes. Subinde est causa mechanica, obstructio narium per corpora peregrina illapsa, mucum induratum, vel sanguinem coagulatum. Saepe sine omni causa mechanica conspicua conditio tantum abnormis est vasorum sanguiferorum, quae copiosa per membranam Schneideri distributa sunt, et quidem saepe ob hypererethismam energicam inflammatoriam membranae mucosae narium inductam per refrigerium, vel calorem intensem, per potus spirituosos, motum corporis violentum, acia sternutatoria naribus admota, provocatur status spasmodicus vasorum sanguiferorum, haemorrhagiam impediens; saepe sine ullis signis inflammationis, vel energiae vitae exaltatae status vasorum sanguiferorum potius asthenicus adest, jam cum erethismo, jam cum paralysi junctus.

§. 203.

Pro diversitate momentorum pathogeneticorum modifi-
ficari debet etiam therapia; sic ischaemiam productam per
causam mechanicam nares obstruentem facile sanamus, cor-
pora peregrina, polypos caute extrahendo, mucum inspis-
satum, vel sanguinem coagulatum resolvendo, vapore, vel
fomento, vel injectione emolliente ex aqua tepida, lacte
terido, vel decocto furfurum aut malvae. Congestione san-
guinis majori praesente, statu inflammatorio producto,
emollientibus ad nares applicitis haud sufficientibus, ne-

cessaria est sanguinis evacuatio artificialis, rarius universalis. frequentius topica per hirudines, quarum tres sexve in ipsas nares applicamus, et subinde ob symptomatum reversionem repetita etiam applicatio hirudinum necessaria est.

Dum retentio epistaxis per debilitatem sustentatur, tunc applicatio hirudinum contra-indicata est, cibi nutrientes, potus spirituosi, vaporum e herbis aromaticis evolutionum derivatio ad nares, sternutatoria, ut pulvis herbae et radicis asari Europaei, valerianae, nicotianae tabaci, non raro effectum desideratum praestant in statu torpido adhibendo simul pulverem radicis vel florum arnicae.

RETENTIO FLUXUS HAEMORRHOIDALIS.

§. 204.

Retentio fluxus haemorrhoidalis seu ischæmia haemorrhoidalis frēquentior aetate virili et in sexu virili, quamvis non ita rara in juvēne, sene et sexu foemineo, se manifestat per symptomata morbo haemorrhoidali communia; aeger experitur calores et dolores in diversis partibus, in primis dolorem intensem pulsatorium in regione sacrali, indeque extensem per spinam dorsi usque regionem occipitalem, cui dolori junguntur saepe alvus obstipa, dura, dolorifica, evacuatio urinae molesta, palpitationes cordis, inquietudines, pervigilia et plura alia symptomata, quae secus fluxu haemorrhoidali comparente siluerunt, nunc autem fluxu hand comparente, vel suppresso symptomata illa perdurant, imo augentur.

§. 205.

Per retentionem hanc diutius durantem inducuntur symptomata morbosa et in intestino recto, et in reliquo organismo; ob sanguinem in intestino recto congestum efformantur tubercula haemorrhoidalia, vel præsentia au-

gentur, et tunc doloribus vehementissimis exeruclatur aeger, non raro spasmis atque deliriis accedentibus, tunc alvus est pertinaciter obstipa, nisus quidem alvum evacuandi persentitur, sed aeger horret evacuationem, donec tandem cogitur inter dolores summos alvum exprimere. Non raro exoriuntur flatas, et sanguinis congestio contingit major in alias partes, unde provocantur jam inflammations, jam haemorrhagiae, ut enteralgia haemorrhoidalis gravis, stranguria, ischuria, haematuria, subinde pruritus genitalium muliebrium in nymphomaniam transiens, subinde haematemesis, pneumonorrhagia, epistaxis, stomatorrhagia, inno et ephidrosis cruenta; subinde cephalaeae, vertigines, dyspnoeae, cordis palpitationes, convulsiones et apoplexia sunt sequelae retentionis haemorrhoidalis; quam diagnosim corroborat observatio de symptomatibus morbi haemorrhoidalis jam longiori tempore praesentibus, quae per fluxum haemorrhoidalem quam maxime mitigabantur, illis autem suppressis statim evolvebantur.

§. 206.

Ad diagnosim clariorem redditam exquirimus in sin-
gulo casu individuali etiam causas retentionis haemorrhoi-
dal. Non raro sunt eae topicae, mechanicae, in intestino
recto, aut vicinia ejus praesentes, ut excrementa indu-
rata, corpora peregrina intestino recto intrusa, ipsa tuber-
cula haemorrhoidalia majora et dura, glandula prostata
indurata, calculus vesicae urinariae major, per quas causas
intestinum rectum comprimitur, et sic excretio fluxus haemorrhoidalis impeditur. Subinde nullum vitium topicum
reperitur, sed potentiae nocentes agunt in sistema haema-
tophorum universale, in primis abdominale, et quidem saepe
per potentias stimulantes, energiam vitae morbosam ex-
citare valentes, ut per cibos aromaticos, potus spirituosos,
motum corporis violentum, animi affectus vehementes,
pharmaca stimulantia, calorem externum majorem, vel per
refrigerium admissum producitur irritatio vasorum, status
inflammatiorius, per quem spasmis in vasis minimis intestini

recti excitatis secretio cruenta habitualis impeditur, et congestio in alias partes organismi locum habet cum charactere energico inflammatorio. Saepe in organismum agunt causae debilitantes, ut vita otiosa sedentaria, evacuaciones nimiae, animi affectus ingrati, tristitia, terror, morbi graves praecedentes, in tali casu sanguinis motus per vasa haematophora, in primis abdominalia perturbatur ita, ut congestionem licet majori praesente excretio tamen haud contingat, partim quod ob statum erethisticum, asthenicum spasmi evolvuntur in vasis minimis, partim quod debilitas cum torpore locum habet.

§. 207.

Momentis hunc consideratis valemus therapiam rationalem adornare, conamurque causas excitantes quo ocyus removere, ideo excrementa indurata, vel alia peregrina tubum intestinalem obstruentia evacuamus, subinde instrumentis extrahimus. Tubercula haemorrhoidalia forte inflammata statim ad exordium, phlogosim incipientem per fomenta frigida resolvimus, nisi fluxus haemorrhoidalis largioris suppressio cita frigoris applicationem contra-indicet; tunc cataplasma emollientia tepida, et his haud sufficientibus hirudines prope ad tubercula haemorrhoidalia applicamus. Dum per retentionem haemorrhagiae habitualis symptomata universalia provocata sunt, tunc therapia topica sola non sufficit; sed vitae regimen anti-phlogisticum coordinandum, omnia quae processum vitalis exaltare possunt evitanda, victus tantum tenuis concedendus, pharmaca mitiora anti-phlogistica praescribenda, ut aqua communis cum aceto, succo citri, vel acido tartari, alvo obstipa praesente magnesia muriae cum cremore tartari et saccharo; statu tali irritativo vasorum haematophororum diu persistente, per vices remittente mox iterum symptomatibus gravioribus recurrente, longo tempore cibi multi plethorani inducere valentes, cibi duri et acries visceris abdominalia irritantes, potus spirituosi prohiberi, aqua simplex pura, dosi etiam majori hansta concedi de-

bent. Majorem adhuc efficaciam exerunt acidulae blandiores, alcalinae solventes dictae, quales sunt in Germania Egeranae, in Hungaria Füredienses, in Transilvania Borszékienses. Non raro in hoc statu utiliter adhibetur succus recenter expressus herbae et radicis taraxaci, cum succo cerefolii, vel extractum taraxaci.

Dum dolores phlogosi devicta sustentantur per congestionem sanguinis majorem et per affectionem vasorum minimorum spasmodicam, tunc remedium adaequatum possidemus in balneis, semicupiis emollientibus tepidis, ita et thermae sulfureae, alcalinae Budenses proficuae sunt, saepe sufficiunt fomenta, cataplasma emollientia, adhuc majorem efficaciam exerunt vapores emolientes, dum aer ger insidet ollae, eni impositae sunt herbae emollientes, vel flores sambuci, chamomillae vulgaris, infusa aqua bulliente vapor derivatur in intestinum rectam per diem bis ter-ve. Per applicationem vaporis hujus solius non raro fluxus haemorrhoidalis revocatur, subinde tantum vasa turgida redundunt, et symptomata molesta perdurant, tunc prope ad tubercula hirudines applicamus, et per haemorrhagiam moderatam aegrum a symptomatibus molestis liberamus. Turgore tali haud praesente, sed symptomatibus morbois urgentibus cum alvo obstipa, purgantia aliquantum magis stimulantia indicata sunt; non raro jam folia sennae, vel radix rhei chinensis scopo respondent; efficacius tamen remedium possidemus in aloë, ab E. Stahl multis laudibus celebratum, quod incaute adhibitum noet, inflammationem chronicam excitando, et profluvium nimium provocando, manu cauta exhibitum levamen adfert magnum.

Non raro retentio haemorrhoidalis asthenica nexa est cum secretione morbosa muci, tunc gummi-resinae, gummi ammoniacum, asa foetida, guajacum, indicata sunt eni purgantibus juncta, ut cum magnesia, cremore tartari vel pulvere rhei. Subinde retentio haec necitur et sustentatur cum debilitate organorum digestionis et chylificationis, quam dein excipit debilitas reliqui etiam organismi, tunc methodus roborans contra ischaemiam ha-

morrhoidalem indicata est, victus animalis, aromaticus, potus spirituosus, frictio abdominis quotidie mane suscipienda, motus in aëre puro sicco, motus in equo, pharmaca roborantia, amara, aromatica, martalia, acidulae martiales, balnea martialis.

RETENTIONES LIQUIDORUM SECRETORUM EXCERNENDORUM.

§. 208.

Liquidorum diversorum ex sanguine secretorum pars retinetur in organismo et impenditur ad processus vitae variis perficiendos, pars vero et propter quantitatem, et propter qualitatem sanitati individuali facile noxia exernitur, qua excretione impedita sanitas organismi plus minusve perturbatur, et quidem in primis observamus status morbosos induci a retentione muci, alvi, bilis, urinae et perspirabilis.

RE T E N T I O M U C I .

§. 209.

Non raro in membranis mucosis secernitur mueus quantitate excedens, et qualitate mutatus ita, ut sub excretione conspiciatur esse puriformis, et per hanc excretionem status normalis dynamico-organicus iterum reducitur; si excretio talis muci morbosí supprimitur prius, quam status dynamico-organicus abnormis secretionem eam sustentans remotus sit, tunc exoriuntur saepè morbi graves. Talem retentionem observamus in fluxu blennorrhoco urethrae et vaginae, qui producitur frequentissime per contagium syphiliticum, saepe etiam per irritationes alias membranae mucosae genitalium, urethrae et vaginae, phlogosim jambitiorem, jam intensiorem excitantes. Si fluxus ille sup-

primitur, antequam phlogosis idiopathica vel sympathica, vel symptomatica sublata est, tunc exoriuntur inde symptoma morbosa in partibus proximis, ut inflammatio urethrae, vaginae, quae excitat dolores intensos, subinde haemorrhagiam, non raro incrassationem membranae mucosae, atque sic coarctationes; non raro producitur inflammatio prostatae molesta, quae haud resoluta transit in suppurationem, indurationem et scirrum; non raro producitur inflammatio in membrana mucosa vesicae urinariae, unde exoritur secretio morbosa muci et ischuria periculosa; subinde producitur inflammatio vesicularum seminalium, funiculi spermatici, epididymidis testiculorum, in mulieribus inflammatio uteri; subinde producuntur inflammationes in partibus aliis, in oculis blepharophthalmia periculosissima, nonnunquam inflammations laryngis, tracheae, bronchiorum, in phthises terminandae, inflammatio hepatis chronica, icterum excitans; subinde provocantur dolores articulorum molesti, diu durantes, et tumores glandularum lymphaticarum, simillimi morbo scrofuloso, dolentes, late extensi et curae multum rebelles.

§. 210.

Status morbosos diversos inductos fuisse a blennorrhoea suppressa concludimus ex narratione aegri, quod fluore breviore vel longiori tempore praegresso, et subito evanido phaenomena morbosa comparuerint, ad quorum naturam individualem exactius cognoscendam conamur exquirere etiam causas, per quas suppressio illa indueta est. Tales causae sunt: refrigerium admissum per potum, balneum, aërem vel lotionem frigidam, subinde acria, stimulantia, caustica, interne et externe adhibita, ut injectiones e decoctis adstringentibus, solutione aluminis, vitriolizandi, cupri, martis, sacchari saturni, lapidis caustici vel mercurii sublimati corrosivi, subinde injectiones spirituosa; subinde spirituosa excessive hansta, cibi multo aromatici conditi, pharmaca irritantia deglutita, ut terébinthina, balsamum copainae, piper cubeba, cantharides, subinde

motus corporis excessivus, animi affectus vehementes, in primis ira, subinde irritatio genitalium mechanica in sexu utroque.

§. 211.

Retentio haec in mitiori gradu praesens morbum constituit leviorem, non raro sola autocratia naturae tollendam; saepe morbus diu durans, intensior, neglectus, vel perverse curatus molestias excitat diversas, et vitam aegri exponit periculis, quae tantum per therapiam rationalem feliciter praecaveri possunt.

In therapia studemus causas excitantes forte adhuc praesentes, ut irritationes mechanicas vel chemicas genitalium, injectiones lotionesque varias, et irritationes sympathicas removere; dein desumimus indicationem a charactere dynamico-organico morbi, frequenter detegimus in vagina, vel urethra, in partibus vicinis vel remotis, ut in oculo praesentes inflammations diversae intensitatis, tunc adhibemus methodum anti-phlogisticam, et simul adnitimur fluxum suppressum restituere per fomenta, cataplasma emollientia abdomini et regioni genitalium imposita, per semicupia et balneum vaporis. Symptomatibus inflammations nullis praesentibus, morbo per suppressionem inducto haud cessante, irritatio major urethrae vel vaginae subinde proficia est; quo fine commendant auctores, ut cereolum materia blennorrhœica inunctum urethrac imponatur, quod tamen vix necessarium est, irritatio enim necessaria provocari potest ope cereoli simplicis, vel ope injectionis e solutione lapidis caustici. Frequentior est indicatio dirigenda contra morbum, qui per retentionem fluxus blennorrhœici provocatus est, ita morbus glandularum lymphaticarum scrofulis analogus pertinax per usum hydrargyri exasperatur, per methodum anti-phlogisticam mitiorem, purgantia blandiora, balnea partim salina, partim salsorea, per decocta lignorum, in primis bardanae, carecis arenariae, sarsuparillae et præparata antimonii feliciter sanatur.

R E T E N T I O A L V I.

§. 212.

Retentio alvi, dicitur ille status morbosus, sub quo alvi evacuatio tardius, difficilius et minori quantitate contingit, quain ad statum normalem individui requiritur. Plurimi homines quotidie semel et quidem horis matutinis alvum evacuant sine molestia; in aliquibus sanitas relativa conservatur, dum omni secundo, tertio-ve die contingit evacuatio; rariores sunt, quorum sanitas conservatur, dum omni septimana semel alvus evacuatur; rarissimi qui sanitatem illaesam conservant, alvo omni mense tantum semel deposita. Plurimi homines symptomatibus variis afficiuntur, dum alvi evacuatio est parcior cum adstrictione et dolore peracta, qua evacuantur excrementa dura, scybala dicta, vocatur hic status alvi adstrictio, morositas, vel tarditas, vel dyscoelia; dum autem alvi evacuatio penitus impedita est, vocatur alvi obstrukcio, obstipatio, constipatio, ischocoelia, per quam producuntur in abdomen flatulentiae, borborygmi, sensus ponderis in lumbis, appetitus cibi imminutus, capititis gravitas, animi morositas; diutius continuata retentione accedunt dyspnoea, cephalaea, dolores abdominis, febres jam continuae, jam intermittentes, spasmi, vomitus, ino subinde vomitus excrementorum seu ileus. Unde patet retentionem hanc et molestam, et periculosam esse.

§. 213.

Ut naturam specificam retentionis hujus definire valeamus causas quoque ejus exquirimus; possident aliqui homines dispositionem peculiarem in hanc retentionem congenitam, haereditate propagatam, in utero matris evolutam, vel tardius acquisitam. Ita homines phlegmatici, qui vitam sedentariam ducent, aut sudoribus disfluent, in hanc retentionem prioniores sunt. Causae excitantes adnotatae

sunt variae; scilicet ad excretionem normalem alvi requiritur conditio normalis excrementorum tam relate ad quantitatem, quam relate ad qualitatem, ut irritamentum debitum constituant; jam si excrementa fuerint parca, ob defectum alimentorum, vel si fuerint minus irritantia, quod aeger antea assuetus cibis animalibus, nutrientibus, aromaticis et potibus spirituosis, nunc utatur solis vegetabilibus, et pro potu aqua; vel si excrementa fuerint muco copioso illinita, ob saburram mucosam in tubo intestinali accumulatam, vel si excrementa fuerint valde dura et siccata, quod aeger parum aquae bibat, majori quantitate spirituosa ingerat, vel quod seoretio liquidorum, secus chymo in tubo intestinali admiscendorum, ut succi pancreatici, enterici, bilis impedita fuerit, forte per spirituosa ingesta, vel per inflammationem topicam, vel per debilitatem; subinde alvus obstruitur per spasmum in tubo intestinali excitatum, per ingesta acria, per excrementa valde irritantia, per liquida morbose secreta.

Ad excretionem normalem alvi requiritur etiam conditio normalis tubi intestinalis, tam relate ad organismum, quam relate ad vitalitatem ejus; si tubus intestinalis fuerit mechanice obstructus per excrementa indurata, vel per corpora peregrina, per os aut per anum illapsa, ut per nucleos deglutitos, per calculos e ductu choledochi expressos, per vermes intestinales, vel tumores in tubo intestinali enatos, ut sunt tubercula haemorrhoidalia, excrescentiae fungosae, polyposae, subinde condylomata variae figurae, per tumores in partibus vicinis enatos, ut tempore fluxus catamenialis per uterus turgidiorem, magis adhuc tempore graviditatis per uterus extensum, subinde per indurationem, saepius per hypertrophiam uteri, subinde per tumores in cavo abdominalis vel pelvis, per calculos urinarios magnos, glandulam prostatam tumidam. Non raro sine omni excrescentia adest coarctatio intestini recti per incrassationem membranae intimae, quae incrementa lenta capit, post praegressam inflammationem chronicam tubi intestinalis; initio alvi evacuatio redditur molesta cum adstrictio-

ne, dein exprimitur alvus tenuis, tandem nulla est possibilis, coaretatione tanta existente, ut nec stylus tenuis, nec chorda tenuis imponi possit intestino. In casibus rariis inducitur obstructio per volvulum seu intus-susceptionem, dum pars tubi intestinalis inferior suscipitur per superiorem, et sic occluditur; saepius inducitur obstructio per herniam, in primis incarceratam.

Saepe nullo vitio organico praesente, obstipatio alvi excitatur per inflammationem tubi intestinalis aut partis alterius vicinae; vel sine omni inflammatione per irritabilitatem morbose exaltatam exoritur constrictio spasmatica tubi intestinalis, uti hoc observamus in hypochondriacis, hysterics, reconvalescentibus e morbo graviori, post deglutita venena, in primis saturnina. Subinde exoritur alvi obstipatio per torporem et atoniam tubi intestinalis, quod irritabilitas et sensibilitas ejus sint valde imminutae, quod observamus, dum sine omni inflammatione tubus intestinalis est muco copioso repletus, vel dum extensio ejus nimia longiori tempore locum habuit per excrementa valde accumulata, vel dum evacuationes profusae, aut morbi ali organismum debilitantes praegressi sunt, vel dum venena narcotica, in primis opium noxios effectus exeruerunt, vel dum per quamecumque causam apoplexia inducta hemiplegiam reliquit.

§. 214.

Momentis enumeratis consideratis prognosim retentionis alvi probabilem pronunciamus; saepe est morbus levior, remotis causis facile evanidus; saepe est pertinax per annos complures aegros adfligens, remittens, intermittens, et iterum revertens; dum diu durat dyspepsiam, flatulentiam, enteralgiam, dyspnoeam, cephalaeam, vertiginem, animi morositatem, saepe dolores, spasmos non tantum in tubo intestinali, sed etiam in partibus viciniis et remotis excitat, morbos reliquos per alias causas inductos exasperat; torpore magis crescente tubi intestinalis chylificatio, assimilatio, sanguificatio et nutritio red-

duntur imperfectae, ideo evolvitur habitus cachecticus, subinde tabes, hydrops, melancholia. Subinde alvi obstipatione pertinaci continuata per excrementa corrupta tubus intestinalis violenter irritatur, et motu anti-peristaltico inducto ileus seu vomitus excrementorum comparet, qui nisi cito sublatus fuerit, aegrum inter inquietudines summas, dolores et spasmos enecat.

§. 215.

Ideo contra morbum periculis multis stipatum semper therapia rationalis adornari debet, qua conamur quidem semper causas excitantes statim removere, simul tamen definitius statum dynamico-organicum per influxum causarum excitantium productum, qui alvi obstipationem sustentat, sibi relictus omni momento nova incrementa capit, et non raro causae excitantis remotionem impedit. Saepe obstipatio alvi sustentatur per processum inflammatorium sive in tubo intestinali, sive in alio viscere vicino evolutum, ut frequenter contingit hernia incarcerata existente; tunc ante omnia inflammatio removenda est, sub gradu ejus mitiori saepe sufficit externe herniae imponere fomenta frigida ex aqua, nivibus vel glacie contusa, interne autem exhibere aquam frigidam; inflammatione ad majorem gradum evecta sanguinis evacuatio, vel topica sola, vel universalis simul suscipi debet. Inflammatione nulla existente causa excitans et sustentans obstructionem statim removri potest, ita excrementa dura in tubo intestinali, in primis intestino recto accumulata prius emolliimus, per potum aquae largiorem, decocta emollientia, clysmata emollientia oleosa, his haud sufficientibus, dum constrictio adest spasmodica per irritabilitatem exaltatam tubi intestinalis producta, tunc commendamus blandissima purgantia, ut oleum amygdalarum dulcium, oleum olivarum, oleum lini, his adhuc efficacius oleum ricini, e seminibus rite conservatis recenter pressum, clysmata e decocto furfurum, vel infuso florum chamomillae vulgaris cum butyro vel oleo vel sapone. Dum alvi obstipatio sustentatur per torporem

tubi intestinalis, tunc indicata sunt initio purgantia blandiora, ut manna, pulpa tamarindorum, pulpa cassiae, quibus tamen facile carcre possumus, substituimusque iis pulpam prunorum cum cremore tartari ac saccharo vel magnesiam muriae cum saccharo, vel adhibemus sales medios purgantes, ut salem amarum, arcanum duplicatum, salem mirabilem Glauberi, rarissime phosphatem sodae, frequenter aquam Seidschützensem, Sedliczensem et Pilnaensem; his effectum desideratum haud producentibus recurrimus ad magis irritantia, ut sunt folia sennae, radix rhei chinensis, subinde radix et resina jalappae, aloë selecta, extractum aloë aquosum, momordica elaterium, scammonium, colocynthis, helleborus, gummi-gutta, oleum crotonis tiglii. Semper tamen meminisse oportet, drastica haec valde irritantia tantum torpore tubi intestinalis majori praesente indicata, secus valde noxia inflammationem periculosam producere posse. Diathesi inflammatoria praesente, oleis blandioribus haud sufficientibus, scopo purgante calomela caeteris preferenda est. Contra alvi retentionem chronicam cura longior requiritur, vitae regiminis praecipua ratio habenda, alimenta et potulenta alvum duram reddere valentia haud ingerenda, aqua pura, recens dosi largiori haurienda, motus corporis moderatus nullo die intermittendus, abdomen quotidie mane leniter fricandum, et nisu etiam ad alvum haud percepto admittatur aeger quotidie mane eodem tempore alvum evacuare, ut sic natura assuefiat iterum ordini normali. Cum pharmaca purgantia diu exhibere plurimis noxiis sit, status autem torpidus frequentissime in intestino recto locum habeat, ideo elysmata utilitatem magnam habent, vel ex solo decocto furfurum, vel ex herbis amaris secundum Kaempf, addito subinde sapone, vel electuario linitivo, vel extracto fellis tauri. In casibus rarioribus excrementa indurata ex intestino recto diti vel parvi cochlearculi ope excipi debent.

Sublata alvi obstipatione ad ejus reversionem impedirendam causae nocentes individuales sollicite evitari, et subi-

inde ad torporem tubi intestinalis removendum roborantia blandiora adhiberi debent,

I C T E R U S.

§. 216.

Icterus est morbus ille peculiaris, qui inducitur evacuatione bilis per ductus normales impedita, absorptione ejus subsecuta, et provocata secrezione morbosa in cuti, unde cutis colorem adipiscitur flavum, simili secrezione contingente in organis uropoëticis, unde urina evadit crocea et fusca. Vocatur etiam **morbus flavus, aurigo, morbus arcuatus et morbus regius.**

Richter, Diss. de cachexia icterica. Göttingae. 1745.

Kemme et Böhml, Analecta de ictero. Halæ. 1780.

W. Corp, an essay on the jaundice. London. 1785.

J. J. Bernhardi, Diss. de icteri natura. Erforti. 1789.

J. P. Vogler, von der Gelbsucht und ihrer Heilart. Wetzlar. 1791.

Ludvig, Diss. de ictero. Lipsiae. 1794

D. Charleville, Diss. variae theoriae de proxima icteri causa. Francofurti ad Viadr. 1795.

N. H. A. Laurent, Diss. sur l'ictère. Paris. 1815.

J. L. Borel, Tentamen medicum, sistens praecipuas icteri flavi species. Parisiis. 1816.

J. F. H. Mühlendorf, Diss. de ictero. Bergolini. 1818.

§. 217.

Morbus diversis stipatus est symptomatibus pro diversa constitutione individuali aegri et pro diversitate momentorum pathogeneticorum. Subinde prodromis nullis praegressis hominem apparenter sanum subito adoritur icterus, talis frequentissime brevis durationis, acutus et febri junctus est, ideo icterus acutus febrilis vocatur.

Longe frequentius constituit morbum chronicum apyretum, quem saepe praecedunt prodroma diversa, ut appetitus cibi prostratus, digestio et chylificatio tarda, molesta, nixa cum flatulentiis, alvi obstipatione, corporis languore, animi morositate, pronitate majore in iram, capitis gravitate, cutis pruritu, dolore jam obtusiore, jam intensiore in regione epigastrica vel hypochondriaca dextra, quae saepe tactu distinguitur tumida et dura. Ex symptomatibus his icterum praecedere solitis nequaquam valemus morbi eruptionem cum certitudine praedicere, quia non raro alii morbi reproductionis, ut haemorrhoides, arthritis prodroma habent similia; sed si jam aeger icterum percessus fuisset, tunc e prodromis observatis cum summa probabilitate concludimus ad evolutionem proximam morbi, ejus incrementum saepe per therapiam rationalem impedire valemus; quod ni fiat, prodromis ad majorem intensitatem evectis citius vel tardius comparet icterus, et quidem frequentissime initio conjunctiva oculorum evadit flava, atque mox extenditur color flavus per cutim reliquam, subinde tantum ad partem unam, dicitur *icterus partialis*; observatus fuit icterus dimidiatus, occupans tantum medianam partem cutis, altera parte normali existente; estque color jam dilute, jam profunde flavus, subinde viridescens et tunc vocatur *icterus viridis*; subinde color vergit in nigrum, et tunc vocatur *icterus niger* vel *melas* *icterus* vel *atrabilarius*. Color flavus cutis producitur a bile, nam liquidum flavum in rete mucoso collectum odorem et saporem amarum bilis habet, analysi chemicae subjectum partes constitutivas bilis largitur; morbo in gradu eminentiori evoluto etiam sudor negri flavus est, et indusia flavo colore tinguntur. Secretio morbosa bilis non est restricta ad solam cutim, contingit similis etiam in aliis partibus corporis, sive subinde et saliva, et mucus, et lac nutricis colorem viridem et saporem amarum habent; investigationes anatomico-pathologicae cadaverum ex ictero defunctorum docent, membranas mucosas et serosas, ut arachnoidem, pleuram, peritonaeum, in quo mu-

sculos, tendines, ligamenta, ipsa ossa etiam in substantia sua interna flavo colore tincta esse ita, ut in morbo maxime evoluto partes corporis omnes bile impraegnatas esse cognoscamus. Nec tamen secretio morbosa bilis semper tam late extensa est, occurunt aegri, quorum cutis tota flava est, et tamen lingua remanet pura, sapore oris amaro nullo praesente ita, ut in iis nulla secretio bilis locum habeat in cavo oris et ventriculo; multi colores objectorum distinguunt rite, licet conjunctiva sit flava, sed humores oculi retinent statum suum normalem; tantum in casu rariori humores bulbi oculi et lens crystallina flavo colore tinguntur, et tunc omnia objecta colore flavo tincta videt aeger. Etiam si partes corporis reliquae praeter cutim nulla signa exhibeant secretionis abnormis biliosae, observatur tamen illa semper in organis uropoeticis, nam urina semper mutata deprehenditur, est coloris profundioris flavo-crocei, subinde fusti brunei, continetque in se principium tingens bilis, ideo charta alba vel linteum album urinae tali immersum colore flavo tingitur, estque urina talis saepe limpida, saepe sedimento vario instructa.

Praeter symptomata enumerata pathognomonica producuntur per effusionem bilis in diversis partibus etiam alia; subinde experitur aeger sub cuti pruritum molestum, intolerabilem, qui noctu somnum turbat, ad scalpendum cogit, in plurimis appetitus eibi est imminutus; et accusatur in regione epigastrica, hypochondriaca utraque, in primis dextra dolor obtusus premens cum sensu ponderis, tensionis, subinde dolor est acutus, et tumor variae extensionis ac duritiae tactu distinguitur; alvus est in plurimis obstipa, excrementa evacuata sunt dura, albo-grisea uti canum, in rarioribus casibus observatur diarrhoea biliosa; non raro accusat aeger cephalaeam, dolores artuum, dedolationes, ructus, anxietates, inquietudines, dyspnoeam, symptomata febris et aliorum morborum; quod dependet a constitutione individuali aegri, a diversa duratione, complicatione, intensitate morbi, in primis autem a momentis pathogeneticis, quae in casu singulo individuali exquirere debemus.

§. 218.

In omni ictero evacuatione bilis via normali impedita contingit absorptio et secretio ejus morbosa in aliis partibus organismi, in primis in cuti et organis uropoëticis, sed status illi organico-dynamici abnormes, qui turbas secretionum ac excretionum producunt, varii observantur; saepe hypercinesia seu sensibilitas et irritabilitas morbose exaltata hepatis locum habet, quo fit, ut in hepate viscere et mole insigni, et non tantum in foetu, sed etiam in adulto summae dignitatis, ut non sine ratione cor abdominale vocetur, quod non tantum secretioni bilis pro digestione et chylificatione necessariae, sed etiam sanguificationi inserviat; per hypercinesiam redditur bilis secretio excessiva ita, ut omnis in digestionem et chylificationem impendi haud valens, per ductum choledochum in intestinum haud evacuetur, sed pars magna absorbeatur, et partim in cutim, partim in organa uropoëtica deponatur. Icterus per talen polycheliam inductus saepe saepius jungitur cum febre jam mitiori, jam intensa, cum sapore oris amaro, vomitu et diarrhoea biliosis, non raro cum statu inflammatorio hepatis; talisque excitatur in subjectis hypercinesia hepatis majori congenita vel acquisita praeditis, quorum sistema cholopoëticum, in primis hepar magis evolutum est. Excitatur icterus inflammatorius subinde per violentiam mechanicam abdomini illatam, per calorem excessivum in organismum agentem, frequentius adhuc per frigus corpus in calore constitutum feriens, propterea morbus est endemicus sub tropicis, et apud nos subinde epidemicus aestate fervida; subinde constitutio peculiaris epidemica atmosphaerae a temperatura haud dependens morbo huic generando favet; non raro deglutita acria, spirituosa, emetica, drastica purgantia, motus corporis violentus, ira vehemens, evacuaciones habituales suppressae, morbi alii, in primis e cuti evanidi, praesente diathesi inflammatoria icterum inflammatorium excitant; ideo viri celebres Marcus et Brouss-

was docuerunt, icterum omnem esse hepatitidem. Quam tamen sententiam observationes castae minime probant, nam saepe nullum est vestigium inflammationis, nec defendi potest, phlogosim esse latentem, occultant, quia aeger per methodum anti-phlogisticam non sanatur. Saepe sine omni inflammatione adest hypercinesia hepatis, secretio contingit morbosa bilis, evacuatio ejus via normali impeditur per spasmus, et sic inducitur icterus spasmodicus; qualem observamus in subjectis temperamento nervoso praeditis, in mulieribus hystericis et viris hypochondriacis, talis excitatur diathesi phlogistica haud praesente per iram et indignationem, refrigerium, evacuationes habituales suppressas, per venena, in primis per morsum serpentum venenatorum.

Polyphilia non adest in omni ictero, subinde quantitas bilis normalem vix excedit, sed evacuatio ejus impeditur, quia ductus hepaticus, aut choledochus spasmo constringuntur, vel ductus excretorii sunt obstructi per bilem insipissatam, calculum biliosum, subinde per ascaridem lambrioidem ex intestino duodeno in ductum choledochum penetrantem, frequentius per fasciolam hepaticam, subinde per nuncum spissum intestini duodeni ostium ductus choledochi claudentem, in neonatis per meconium spissum. Subinde comprimitur ductus choledochus per tumores vicinos, ut pancreatis, glandularum mesentericarum, per steatomata in ipso hepate efformata, per excrementa dura in intestino colon transverso accumulata. Subinde exoritur icterus, quod secretio bilis in hepate est impedita per organisationem hepatis laesam, dum pars hepatis infarcta, indurata post febres intermittentes diu durantes, neglectas, posthepatides chronicas, usum excessivum spirituorum, in primis cremati, vel quod in hepate degenerato efformatae sunt vomicae, tumores cystici, hydatides, vel quod hepar in statum atonicum, torpidum, paralyticum conjectum est per evacuationes nimias, apoplexiam, vel venena deglutita; tunc natura secretionem hanc supplere conatur in alia parte corporis, et sic evolvitur icterus, qui secundum momen-

ta hue usque enumerata est vel idiopathicus seu hepaticus, cuius causa in ipso hepatate haeret, et quidem vel a vicio organico manifesto inductus, vel in sensu strictiori dynamicus, et quidem vel inflammatorius, vel spasmodicus, vel paralyticus. Praeter has differentias enumerantur ut species peculiares icterus neonatorum, i. gravidarum et i. calculosus.

§. 219.

Icterus neonatorum evolvitur statim primis diebus aut primis septimanis post nativitatem; nec tamen color flavus cutis in neonatis semper annunciat icterum; inducitur color talis frequenter a sanguine, qui per processum respirationis post nativitatem inchoatam mutationem subit memorabilem; per contactum atmosphaerae stimuli inconsueti irritatur cutis, ideo cutis antea pallida evadit nunc praerubra quasi erysipelacea, post paucos dies congestione sanguinis remittente cutis evadit flava; donec successive color normalis observatur; nec tamen icterus omnis neonatorum a sanguine in cuti congesto ac successive mutato repeti potest, sed inducitur manifeste a bile; absunt enim omnia symptomata icteri veri: color flavus in albuginea oculorum, urina colore profunde flavo tinteta, crocea; est icterus talis neonatorum saepe morbus mitis, excitatus per meconium, cuius evacuatione subsecuta intra paucos dies disparet; non raro est morbus periculosissimus, dum infantes neonati praeter colorem flavum in cuti universa extensem, et praeter urinam croceam simul febri intensa laborant cum calore excessivo, pulsu ita frequenti, ut vix numerari possit, inquietudine summa, ejulatu continuo, vomitu, alvo pertinaciter obstipa, siti molesta; ideo ubera quaerunt, avide arripiunt, sed ob inquietudinem sugere non valent, et quod sugebant mox vomitu reiciunt; vexantur doloribus colicis, ideo corpus contorquent, genua versus abdomen elevant, saepe convelluntur, et nisi morbus therapia rationali tollatur, intra paucos dies extinguuntur. Talis icterus neonatorum pericu-

losns requirit dispositionem congenitam, in utero matris evolutam, induciturque per refrigerium, per lac matris vel nutricis qualitate noxiom, forte post iram praegressant exhibitum.

G. H. Brüning; de ictero spasmodico infantum Essendiae anno 1772 epidemico. W esel. 1773.

Baumes, Description de l'ictère des nouveau-nés. Ni mes. 1788.

— Traité de l'ictère ou jaunisse des enfans de naissance. Paris. 1806.

Müller, Diss. origines icteri maxime recens natorum exponens. Jenae. 1788.

§. 220.

Non raro observatur icterus in gravidis, nec tamen ita specificus, ut in omni casu eandem naturam habeat eadem therapia tollendam, imo variet; subinde excitatur per sa- burram induratum accumulatum, ductum choledochum com- primentem, subinde per inflammationem hepatis, gravidae enim multae diathesi inflammatoria et inprimis diathesi phlogistica hepatis praeditae sunt, ideo per causas phlogis- sion excitare valentes facile icterus inflammatorius provo- catur. Frequentior tamen est icterus spasmodicus gravida- rum, qui provocatur facile ob hypercinesiam exaltatam per iram et indignationem. Saepe nulla causa detegi potest praeter graviditatem, sicut in aliis inducuntur vomitus, efflorescentiae cutis, vertigines, spasmi, tussis, etc. ita in nonnullis comparet icterus omni pharmaco rebellis, tota graviditate perdurans, partu absoluto disparens.

§. 221.

Molestior est icterus calculosus, qui producitur per calculos biliosos, quorum alii similes sunt calculis in diversis corporis partibus generatis ex phosphate calcis in- primis compositi coloris albi vel flavo-cinerei; sed praeter hos deteguntur distincti in cystide fellea vel ductibus bi- liosis, dicuntur calculi biliosi vel cholelithi, suntque hi aliis calculis leviores, inflammabiles, in spiritu

terbinthinae et aethere vitrioli solubiles, constantque e
 bile inspissata, crystallisata, in primis & parte bilis adi-
 po-cerea, quae vocatur cholesteatine; in medio repe-
 ritur nucleus, cui lamellatum apponuntur strata, et sic
 efformantur calculi, saepe minimi, ad magnitudinem semi-
 num papaveris, cannabis, pisi, saepe nucis avellanae, ju-
 glandis, ovi columbini, imo gallinacei; figuram habent ya-
 riam, jam oblongam ovalem, jam sphaericam, jam angu-
 losam polygonam, sunt numero diverso, majores unus al-
 ter-ve, minores etiam centeni replent cystidem felleam; quia
 valde lente increscunt, ideo raro initium eorum cognosci-
 tur; aeger saepe per plures annos calculos biliosos gerit,
 quin symptomata ulla eos annuncient, tantum in cada-
 vere reperiuntur; nec tamen semper ita innocui latent,
 saepe symptomatibus gravissimis praesentiam suam mani-
 festant. Dum talis calculus per ductum cysticum et chole-
 dochum ex primitur, tunc aeger ante apparenter sanns ex-
 peritur dolores in regione hypochondriaca dextra, saepe
 remittentes, intermittentes, sed iterum recurrentes et non
 raro intolerabiles, cum sensu tensionis, ardoris, dislace-
 rationis, qui extenditur versus regionem scapularem, epi-
 gastricam, lumbalem; aeger simul experitur horripilationem
 cum calore alternantem, pulsum frequentem, parvum, in-
 aequalem, irregularem, non raro intermittentem, dyspnoe-
 am, inquietudinem magnam, nauseam, vomititionem
 et vomitum, quo evacuat initio ingesta, dein bilem et inter
 haec symptomata saepe subito comparet icterus, per cutim
 universam extensus. Durant haec symptomata per duos
 tres-ve dies, dein remittunt, cessant, una cum ictero dispa-
 rent, aeger sanitatem apparenter bona fruitur, donec post
 septimanas vel menses aliquot eadem symptomata cum ictero
 revertuntur. Quotiescumque observamus icterum gravibus
 symptomatibus topicis subito evolutum, brevi durantem,
 sed saepe recurrentem, tunc suspicionem fundatam habemus
 de ictero calculoso; recursus tamen periodicus solus ad
 diagnosim haud sufficit, nam etiam icterus spasmodicus
 est subinde periodicus, ita subinde febris intermittens tem-

pore paroxysmi notatur ictero, tempore apyrexiae evanido; ita subinde in mulieribus a fluxu catameniali suppresso excitatur icterus omni quarta septimana recurrens. Ne ergo in diagnosi errorem committamus, attendimus ad evolutionem morbi successivam et ad momenta ejus pathogenetica; causae quidem calculum biliosum generantes nedum sunt exacte cognitae, illud tamen observatio docet, eos, qui temperamento cholericō instructi sunt, vitam otiosam dueunt, irae saepe indulgent, facile laborare calculis biliosis, iisque sub insultu vehementi ictericō vomitu vel alvo evacuantur; ideo in singulo tali casu individuali evacuata examinare debemus, ut de praesentia calculi convincamur.

T. Cœ, a treatise on biliary concretions or stones in the gall bladder and duct. London. 1757, 1807.

— Abhandlung von den Gallensteinen, a. d. engl. Leipzig. 1783.

H. F. Delius, de cholelithis observationes et experimenta. Erlangae. 1784.

S. T. Sömmerring, de concrementis biliaris corporis humani. Francof. ad M. 1795,

B. Brunier, Essai sur les calculs biliaires, Paris. 1803.

§. 222.

Symptomatibus, causisque morbi attente collectis et inter se combinatis per considerationem naturam individualem icteri cum probabilitate definire, et tunc etiam sententiam probabilem de exitu morbi pronunciare valemus. Non raro icterus constituit morbum leviorem, causis excitantibus remotis brevi cessantem, saepe tamen est morbus pertinax, per mensem, imo subinde per annos aegrum affligens, nec tantum colore flavo, saepe in fuscum vergente cutim defoedat, sed saepe pruritum molestum excitat, functiones organorum digestionis, et chylificationis perturbat, aeger de appetitu cibi prostrato, gastralgia, enteralgia, nausea, vomititione, flatulentia, alvo obstipa conqueritur, processus assimilationis, sanguificationis, nutritionis, reproductionis totus redditur abnormis, ideo habitus aegri eva-

dit cacheeticus, propterea icterus a multis auctoribus referitur ad classem cachexiarum; corpus emaciatur, non raro evolvuntur symptomata febris hecticae, hydropis, subinde scorbuti cum petechiis, ecchymomatibus, vomitu cruento, diarrhoea cruenta, et sic aeger inter symptomata febris nervoso-putridae extinguitur. In cadavere reperiuntur diversa phaenomena pro diversitate constitutionis individualis et momentorum pathogeneticorum. Praeter vitia organica hepatis, ut infaretus, indurations, tubercula, scirrhos, vomicas, ulcera, deteguntur non raro indurations, exulcerationes viscerum aliorum cavi abdominis, ventriculi, intestinorum, lienis, subinde etiam pulmonum, reperiuntur in diversis partibus maculae flavo-fuscae a bile effusa. In embryonibus subinde ob peculiarem statum morbosum membranae serosae peritonaeum, pleura, pericardium, arachnoidea cerebri et medullae spinalis colore pulchro flavo tincta sunt, quemadmodum describit Lobstein et vocat *hirrose*.

Ut prognosim cum probabilitate aliqua construamus, consideramus icteri durationem, intensitatem, momenta pathogenetica et characterem dynamico-organicum. Morbus incipiens facilis sanatur, quam inveteratus; vitium organicum inveteratum, ut scirrus, saepe reddit morbum omni arti rebellium; absente vitio organico icterus in sensu strictiori dynamiens prognosim agnoscit laetorem, in primis si character fuerit mitior inflammatorius, vel mitior spasmodicus; tunc saepe saepius sanatur per solam autocratiam naturae, evacuationibus ut plurimum criticis locum habentibus per vomitum, diarrhoeam, subinde per sudorem, urinam vel haemorrhagiam. Icterus inflammatorius in gradu eminentiori periculis non vacat, per autocratiam naturae solam raro sanatur; adhuc periculosior est icterus cum charactere paralytico, tunc enim frequentissime simul adsunt vitia organica arti rebellia, et evolutis symptomatibus febris astheniae cum charactere septico nervoso spes curae omnis evanescit; secundum per therapiam rationalem icterus saepe saepius feliciter sanari potest.

J. F. Lobstein, (Répertoire générale d'Anatomie et de Physiologie pathologique, 1826, T. I. p. 141.)

§. 223.

Ut therapiam icteri rationalem instituere valeamus, investigatione exacta praemissa definimus, sit-ne. icterus praesens febrilis, tunc utplurimum acutus, vel potius apyretus, tunc utplurimum chronicus. In morbo febrili definimus nexus, quem febris cum ictero alit, et characterem ejus dynamicum; saepe eum observamus energicum inflammatorium ita, ut in ipsis organis cholopoëticis, hepate, liene et systemate venae portarum signa inflammationis sint manifesta. Talis icterus frequentior est sub zona calida, occurrit etiam apud nos, curaturque per methodum anti-phlogisticam, per sanguinis evacuationem saepe universalem, saepius topicalam. Talem characterem habet icterus subinde gravidarum et neonatorum, periculisque stipatur maximis, quae per sanguinis evacuationem justam removentur; teneris infantibus ad regionem hepatis duas, tres-ve hirudines applicamus; phaenomenis morbi haud remittentibus, alvo obstipa præsentे maxime indicata est calomela, cuius virtus anti-phlogistica in hac specie icteri in India utraque multis observationibus comprobata est; infantibus exhibemus granum semis calomelis omni bihorio, donec alvi evacuatio una altera-ve secuta fuerit. Methodus tamen haec nunquam est adhibenda, nisi character icteri phlogisticus eminentior locum habeat; nam character mitior inflammatorius deletur per mitiorem methodum anti-phlogisticam, ut vitae regimen anti-phlogisticum et decoctum hordei cum oxymele simplici. Non raro febris icterum concomitans characterem dynamicum exhibit nervoso-septicum, tunc remedia tonica, stimulantia, roborantia, anti-septica proficia sunt. Icterus autem febris intermittentis symptomata sanatur usu congruo corticis cinchonae.

§. 224.

In multis casibus nec febris nec inflammatio jungitur ictero, sed character morbi est spasmodicus, per hypercinesiam jam topicam organorum cholopoëticorum, jam latius per organismum extensam in hysteris ac hypochondriacis sustentatus; observamusque characterem talem saepe in ictero gravidarum et neonatorum, atque tunc indicata sunt remedia, quae irritabilitatem et sensibilitatem morbose exaltatam tam in organis cholopoëticis, quam in reliquo organismo imminuere valent, qualia sunt quies animi, infusa florum chamomillae vulgaris, florum tiliae, herbae melissae, foliorum aurantiorum, quibus addimus guttas paucas spiritus nitri dulcis, vel liquoris anodynii mineralis Hoffmanni; his minus opitulantibus exhibemus narcotica dosi parva, ut extractum hyoscyami, extractum cicutae, praesentibus simul vomitu et diarrhoea recurrimus ad opium, subinde ad infusum radicis valeriana sylvestris, castoreum, praeparata ammoniae et gummi-resinam asae foetidae in clysmatibus; abdomini applicamus cataplasma emollientia, emollientia narcotica, et dum fieri potest aegrum imponimus balneo tepido. Saepe remedia laudata effectu salutari destituuntur, quia spasmus organorum cholopoëticorum sustentatur per excrementa dura in tubo intestinali haerentia, tunc evacuatio saburrae est indicata; subinde aeger experitur sensum ponderis in regione epigastrica, vexatur ructibus, vomititione, sapore oris amaro, signis saburrae sursum versus turgescens, emeticum tamen non est exhibendum, nisi post examen valde scrupulosum; nam symptomata illa gastrica saepe excitantur tantum per statum irritatum organorum cholopoëticorum, qui per emeticum non tollitur, potius augetur; ideo in casibus longe plurimis purgantia sunt indicata; in infantibus teneris saepe sustentatur icterus per meconium copiosum spissum, tunc exhibemus syrupum eichorei cum rheo, vel syrupum mannatum, omni bihorio uno cochleari coffeaceo, ut quotidie alvi evacuatio bina sequatur, quibus haud sufficien-

tibus commendamus clysma ex infuso florum chamomillae cum butyro vel oleo. Evacuatione alvi adhuc obstipa perdurante commendamus folia sennae vel rheum, In ictero etiam adulorum purgans medicina frequenter indicata est, partim ut saburra evacuetur, partim ut tubum intestinalem irritando per virtutem antagonisticam spasmus in organis cholopoëticis dispareat, et bilis in intestinum duodenum infundatur, siveque retentio et absorptio morbosa ejus tollatur. Saepe requiruntur tantum purgantia mitiora, ut pulpa prunorum, tremor tartari, magnesia, oleum lini, oleum amygdalarum dalcium, vel his efficacius oleum ricini; saepe plus praestant sales medii purgantes, ut arcanum duplicatum, sal mirabilis Glauberi, sal amarus, quos adultis praescribimus in decocto radicis graminis vel radicis taraxaci. Tubo intestinali torpidiore existente requiruntur purgantia aceriores, ut folia sennae, radix rhei chinensis, aloë, cui Wedekind in ictero sanando tribuit virtutem specificam, quam non habet, saepe effectu caret, praesente phlogosi nocet, sed ea absente est remedium egregium, frequentissime in pilulis eum rheo et extracto taraxaci praescribimus, subinde ob affectionem spasmodicam etiam parva quantitate asam foetidam adiungimus.

§. 225.

In ictero chronicō frequentissime adsunt infarctus, raro tantum ad hepar restricti, sed latius extensi per lien et ramos systematis venae portarum, quo in casu cura longior contra infarctus instituenda est; verno tempore convenienter succi recenter expressi herbae et radicis taraxaci, cerefolii, fumariae, radicis cichorei, reliquo anni tempore decocta radicis graminis, taraxaci, cichorei, saponariae et extracta eorum, cardui benedicti, chelidonei majoris, quorum virtus subinde exaltatur per solventia salina, arcanum duplicatum, salem mirabilem Glauberi, salem amarum, tartarum tartarisatum, terram foliatam tartari, saepe utiliter combinantur purgantia cum anti-spasmodicis. Saepe virtutem magis solventem in ictero sanando exerunt acidulæ, ut Füredien-

ses, Szalatnyenses, Ránkenses, Parádienses, quibus majorem celebritatem habent acidulae Egeranae in Bohemia, et illis vicinae Marienbadenses, quibus adhuc eminentiores sunt aquae thermarum Carolinarum, in primis sale mirabile Glauberi scatentes, quarum usu infaretus et icteri pharmacis diu rebelles multi feliciter résoluti sunt; in vicem illarum adhibemus aquas thermarum Budensium, experientia multiplici probatas, et si aeger sub usu earumdem alvum obstipam habet, praescribimus illi salem thermarum Carolinarum vel salem mirabilem Glauberi; simul commendamus usum balnei tepidi, utque aeger quotidie mane abdomen leniter fricet; ad frictionis efficaciam augendam oleum blandum, vel unguentum emolliens, vel saponem abdomini inungat. Dum infaretus chronicus sustentantur per statum torpidiorem, tunc ad solventia etiam fortiora recurrimus, ut sunt gummi-resina ammoniacum, gummi-resina guajaci, praeparata antimonii, tartarus emeticus, sulfur auratus antimonii, praeparata hydrargyri, aethiops antimonialis, mercurius dulcis. Dum icterus sustentatur per infaretus chronicos, doloribus ac spasmis connexos, tunc narcotica sunt indicata: extractum cinctae, hyoscyami, belladonnae, rarius opium, saepius acidum hydrocyanicum, vel aqua laurocerasi, sub quorum usu effectus diligenter observandi sunt, ne plus detrimenti, quam emolumenti adferatur.

§. 226.

Subinde icterus pharmacis hucusque Iandatis rebellis sanatur per remedia blandiora, ut, per vitellum ovi recentis quotidie bis ter-ve sumtum; non raro icterum chronicum post hepatitidem residuum sanant acida, rarius vegetabilia, frequentius mineralia, ut acidum vitrioli dilutum, liquor acidus Halleri, acidum muriaticum et nitricum, e quibus exhibemus guttas viginti, successive ascendendo ad guttas centum in libra una decocti emollientis pro nycthemero. Non raro praeter usum internum etiam externus ad sanitatem restituendam consert; saepe jam sufficit pedilu-

vium, drachmas sex acidi muriatici et unciam semis acidi nitrici diluimus libris duabus aquae, hancque mixturam infundimus aquae tepidae in vase idoneo, cui aeger pedes usque ad genua imponit, quotidie per medium horam; eodem tempore aqua eadem abluitur corpus reliquum ope spongiae, et post tres septimanas adhibetur pediluvium tantum omni altero die, donec symptomata morbi dissipata fuerint; sub cura continuata augetur dosis et acidi muriatici, et nitrici; subinde balneum simile cum utilitate adhibitum fuit. Secundum observationes recentiores ad scopum eundem obtinendum adhibemus chloratem calcis vel sodae, praescribimusque pro uno pediluvio unciam semis, successive augendam, ne aqua evadat valde acris, et irritationem cutis molestam inducat. Non raro morbus molestus feliciter sanatus est per clysimata, subinde sola emollientia, saepius solventia a Kae m p f maxime commendata.

W. Wallace, Researches respecting the medical powers of chlorine, particularly in diseases of the liver. London. 1822.

Scott, (med. chir. Transact. Vol. VIII.)

J. M. Good, the study of medicine. Vol. I. pag. 398.

§. 227.

Methodus solvens statui individuali congrue adhibita effectus salutares multis observationibus felicibus probavit, sed ultra justos limites extensa nocet, organorum digestio-
nis et chylificationis energiam vitalem imminuit, ad statum cachecticum evolvendum, ieterum perennem reddendum confert. Quamprimum debilitatis verae phaenomena observamus, methodum roborantem per statum aegroti individualis indicatum commendamus, cibum animalem, aro-
mate grato conditum, potum spirituosum dosi moderata, aërem purum siccum, motum corporis initio passivum, dein activum in equo; ex pharmacis praescribimus initio blandiora amara stomachica: herbam cardui benedicti, centaurei minoris, trifolii fibrini, radicem gentianae, rasuram ligni quassiae, e quibus partim infusa, partim extracta com-
mendamus; non raro efficax est extractum fellis tauri, sac-

pe efficaciora sunt amaro-aromatica, liquores aetherci, praeparata corticis cinchonae, martialia, in primis in hac specie icteri asthenici utiliter adhibentur apud nos acidulæ martiales, Bartphenses, Lublovienses, et Buziárenses, et thermae martiales ad Szklenó, Szliáts et Vichnye.

§. 228.

Peculiarem therapiam requirit icterus calculosus, per cholelithos excitatus, quem cum probabilitate cognoscimus ex symptomatibus gravissimis periodice recurrentibus, et ex indole momentorum nosogeneticorum, certitudinem acquirimus per secessum ipsorum calculorum, qui ex principio bilis (cholesteatine) compositi spiritu terebinthinae et aethere vitrioli solvuntur perfecte, ideo Durand e commendavit ut remedium specificum: aetheris vitrioli partes tres, olei deat. terebinthinae partes duas, e quibus quotidie ter aegro exhibeantur guttae decem, viginti cum saccharo, superbibatur lac, vel decoctum emolliens, vel juscum gelatinosum. Observatores tamen magni Quarín et P. Frank testantur, se remedium hoc aegris multis exhibuisse, effectu salutari nullo secuto; nec penetrat remedium deglutitum in ductum choledochum aut cystidem felleam, ut calculum solvere possit, tantum dum calculus e ductu choledoco expressus in intestino fixus haeret, et a bile adfluente incrementa nova capit, potest remedium chemice agere, secus tantum virtutem anti-spasmodicam exerit; nam testantibus observationibus utiliter adhibetur etiam solus aether vitrioli, dum spasmus soluto calculus e ductu choledoco faciliter evacuatur in tubum intestinalem. Licet hucusque pharmaca calculum biliosum solvere valentia in ipso organismo haud noscimus, morbum tamen molestum saepe feliciter sanamus. Cura duplex est, alia tempore insultus spasmodico-dolorifici; tunc tantum symptoma molesta mitigare conamur, subinde per irritationem calculi inducitur status inflammatorius, et tunc methodus anti-phlogistica sine mora adhiberi debet, hirudines 12—30 applicamus regioni epigastrico-hypocondriacae dextrae,

medicinam porrigitur blandissime emollientem, clysmata praescribimus emollientia, alvo obstipa perdurante indicata est calomela, adultis omni bishorio grana 2—4, donec alvi evacuatio bina secuta sit. Non raro in subjectis tenerioribus, hystericis, hypochondriacis a sola irritatione nervosa, absque omni inflammatione producuntur illa symptomata gravia, quae tunc removemus, interne exhibendo emulsionem oleoso-gummosam cum opio, vel idiosyncrasia contra illud praesente cum aqua laurocerasi; externe commendamus oleum hyoscyami coctum, cataplasma emollienti-narcotica, clysmata emollientia et semicupium emolliens, atque per haec remedia uno altero-ve die adhibita reducitur iterum sanitas, sed tantum apparens; donec calculi remanserint in ductu vel cystide biliosa; morbus citius vel tardius revertitur, nisi cura radicalis peracta fuerit; quem in finem therapiam dirigimus contra causas calculum biliosum generantes et sustentantes; cum experientia doceat, praecipuum causam calculorum constituere infarctus abdominales, ideo relate ad victum, corporis motum, animi affectus commendamus, ut sollicite vitentur ea omnia, quae hepar irritare et effluxum bilis impedire possent. Commendamus verno tempore succum recentem herbae et radicis taraxaci, tardius extractum taraxaci dosi successive nuxta, acidulas solventes alcalinas, in primis autem aquam thermarum Carolinarum, quarum usu icterus calculosus saepe feliciter sanatus fuit: similem virtutem licet in gradu minori possident aquae thermarum Budensium cum sale thermarum Carolinarum combinatae.

Ictero sublato ad recidivam ejus impediendam in primis potentiae nocentes individuales per observationem detectae sollicite vitari debent.

J. F. Durande, Observations sur l' efficacité du mélange d'éther sulfurique, et d' huile volatile de téérébenthine dans les coliques hépatiques, produites par des pierres biliaires. Paris. 1770.

R E T E N T I O U R I N A E.

§. 229.

Retentio urinae, ejus evacuatio ad statum sanum conservandum summe necessaria est, saepius occurrit incompleta, dum nempe quantitas urinae minor evacuatur, quam sanitas individualis desiderat; saepe tunc contingit evanescatio cum adstrictione, sensu difficultatis et impedimenti, nec urina rivo consueto, sed tenui interrupto, nonnunquam bifurcato fluit, vocatur dysuria. Non raro experitur aeger dolores intensos in urethra, evacuatio perficitur tantum guttatum, dicitur stranguria. Non raro evacuatio urinae omnis impedita est, tunc vocatur ischuria completa.

Camerarius, Diss. de vitiis urinae vias et vicinias illarum affectibus, Tübingae. 1733.

D. Timmers, Diss. de ischuria. Lugd. Batav. 1757.

C. A. Glexin, Diss. de ischuria. Montpell. 1761.

J. H. Blumenthal, Diss. de ischuria hystero-cystica. Lugd. Batav. 1773.

M. Saxtorph, Diss. de ischuria cystoplegica. Hafniae. 1775.

M. van der Belen, Diss. de ischuria. Lovau. 1783.

C. Brandon Trye, Remarks on the nature and treatment of morbid retention of urine. London. 1785.

M. Troja, Lezioni intorno ai mali della vesica orinaria. Napoli. 1785, 1788.

— Über die Krankheiten der Nieren, der Harnblase und der übrigen zur Ab-und Aussonderung des Harns bestimmter Theile. Erfurt. 1788.

Eberhard, Diss. de dysuria et ischuria sexus potioris. Jenae. 1788.

Ploucquet, Diss. de ischuria cystica. Tübingae. 1790.

Bon, Anatomische und chirurgische Bemerkungen über die Harnverhaltung und den Blasenstich. Leipzig. 1794.

S. T. Sämmering, Abhandlung über die schnell und langsam tödtlichen Krankheiten der Harnblase und der Harnröhre bei Männern im hohen Alter. Frankf. a. M. 1809.

W. Schmidt, über diejenigen Krankheiten der Harnblase, Vorsteherdrüse und Harnröhre, denen vorzüglich Männer im höhern Alter ausgesetzt sind. Wien. 1800.

J. Civiale, Nouvelles considérations sur la rétention d'urine. Paris. 1823.

P. S. Ségalas, Traité des rétentions d'urine et des maladies qu'elles produisent, suivi d'un grand nombre d'observations. Paris. 1828.

§. 230.

Ischuria praeter intensitatem differt relate ad sedem, in qua causa retentionis locum habet, et hoc respectu distinguuntur: ischuria nephritica seu renalis, ureterica, urocystica et urethralis. Ut diversam sedem ac causam morbi cognoscere valeamus, attentionem nostram dirigimus ad symptomata, quae successive evolvuntur. In omni ischuria observamus urinam jam paucam et illam cum molestia jam majori jam minori evacuari, saepe nulla contingit excretio; praeter hoc impedimentum comparent alia symptomata, e quibus cum probabilitate concludimus ad sedem morbi.

Diagnosis ischuriae renalis ad unum renem restrictae est difficilis, quia per renem alterum continuat secretio urinae; saepe tamen praeter alia symptomata in hoc etiam casu urina parcius evacuatur, et saepius ren uterque ob sympathiam in statum eundem morbosum conficitur. In tali ischuria nephritica ipsa secretio urinae est parcius vel nulla, ideo vocatur morbus suspensio urinae, cognoscimusque ejus praesentiam ex urina parca vel nulla in vesica urinaria, aeger non percipit nisum urinam evacuandi, investigatione facta nullum detegimus impedimentum in urethra, vel vesica urinaria, vel ureteribus, vesicam non tangimus expansionem, et cathetere in vesicam immisso nullam vel paucam evacuamus urinam; aeger in regione lumborum

bali accusat dolorem jam obtusum, prementem, tendentem, subinde intensem acutum, qui extenditur a regione lumbali versus abdomen, femur; non raro tumor aliquis in regione lumbali percipitur, propterea aeger in incessu situm minus consuetum observat. Causis ischuria transitoriis existentibus symptomata morbi brevi disparent; dum ischuria a statu paralytico pendet, tunc diu durat, aeger tamen moles-tias paucas accusat. Per quamecumque causam excitatus fuisse erit morbus ob secretionem urinae impeditam, dum in longius exurrit, conditio totius organismi multum perturbatur; in plurimis casibus exoritur febris valida, calor, sitis intensa, aegri affliguntur gastralgie, nausea, vomititione, non raro liquidum vomitu ejectum redolet urinam, quem odorem etiam sudor spargit, et sic deliriis accedentibus comparent symptomata omnia febris nervoso-septicae.

Provocatur haec ischuria renalis subinde per vitia organica renum, per venas varicose vel arterias aneurysmatically extensas; subinde substantia tota renum peculiarimodo degenerata fuit in substantiam adipoceream, steatomatosam vel membranaceam; subinde pelves et calices renum repletae fuerunt calculis; non raro functio renum impedita est per statum morbosum partium vicinarum, per tumores diversae indolis. Saepe sine vitio organico status dynamicus renum abnormis est, vel ob inflammationem evolutam, vel sine inflammatione vasa renum secernentia spasmis corripiuntur, vel in statum paralyticum conjiciuntur. Non raro suspenditur secretio urinae ob statum abnorinem reliqui organismi, sic in febri omni intensa, in hydrope, sub evacuationibus aliis nimiis, ut ptyalismo, ephidrosi, diarrhoea, cholera secretio urinae est valde restricta.

§. 231.

Ischuria ureterica dicitur, ubi causa retentionis in uretere alterutro vel utroque sedem figit, quo in casu urinae evacuatio parcius vel nulla est, et investigatione facta evacuationis nullum impedimentum detegimus in urethra, vel vesica urinaria, nec observantur symptomata sta-

tum morbosum renum indicantia, sed potius evolvuntur symptomata, quae annunciant statum morbosum ureterum; aeger nempe percipit dolorem jam acutum, jam obtusum, subinde tantum stuporem in regione lumbali, profunde in pelvis descendente, morbo diutius durante regio ea intumescit ita, ut tumor oblongus tactu distingui possit, nam per urinam retentam ureter extenditur et diametrum adipiscitur intestini tenuis; sub morbi incremento majori exoriuntur symptomata consensualia omni ischuria com- munia.

Haec species ischuriae rarer inducitur per vitia organica in ipsis ureteribus haerentia, per obstructionem a muco inspissato, sanguine coagulato, frequentius a calculo e renibus expulso, subinde per intumescentiam, incrassationem membranae mucosae ureteres investiente post inflammationem chronicam; subinde impeditur excretio in vesicam urinariam per spasmus aut paralysim, non raro per tumores partium vicinarum, ut glandulas induratas, musculum psoas inflatum, aut in suppurationem conjectum, per uterus tumidum vel per intestina excrementis multum, repleta.

§. 232.

Longe frequentior est ischuria urocytica, diagnosisque ejus clarior, nam in hoc casu urina secernitur in renibus, per ureteres deducitur in vesicam urinariam, sed inde parum aut nihil evacuatur, et hinc accumulatur in vesica urinaria, quod visu et tactu cognoscere possumus; saepe pressione manus, saepius per catheterem evacuatur urina, et tumor dispareret, dum impedimentum adest in urethra vel in collo vesicae urinariae evacuationem omnem impediens, tunc per urinam retentam vesica urinaria semper magis extenditur, tumor pyriformis tactu, subinde et visu distinguitur, si tunc digitus imponitur vaginae, vel intestino recto viri, et digitis manus alterius abdomen in tumore eo pyriformi leniter percutitur, tunc percipitur fluctuatio liquidi in vesica urinaria. Evacuatione urinac-

longiori tempore impedita vesica urinaria extenditur ita, ut subinde totum abdomen occupet usque ad regionem epigastricam, quam extensionem enormem observanis sub statu paralytico vesicae urinariae: secus antequam extensio tanta locum habet, exitus contingunt molesti alii morbi. Aeger nempe experitur saepe diversa incommoda; dyspnoea; tenesmum, hisum continuum dolorificum urinam evacuandi, saepe evacuatio contingit inter dolores summos per guttas, subinde stillat continuo; et tamen non evacuat omnis urina, ita ut tunc aeger simul habeat enuresim et ischuriā. Morbo in gradum majorem erecto corripitur aeger simul febri continua cum calore secco, siti magna, lingua arida, saepe muco fusco tecta, anorexia, nausea, vomititione, inquietudine magna, pervigilio.

Species haec ischuria inducitur saepe per statum inflammatorium vesicae urinariae, saepe tantum ad collum vesicae urinariae restrictum; subinde inflammatio tantum mifior catarrhosa membranam mucosam vesicae urinariae comprehendit. Saepe phlogosi nulla praesente deteguntur tantum spasmi collum vesicae urinariae constringentes, quemadmodum hoc observamus in hystericis, hypochondriacis, in infantibus sub dentitione, subinde tardius per vermes intestinales, in mulieribus per statum irritatum uteri, sub fluxū catameniali, graviditate, puerperio. Non raro provocatur talis ischuria urocystica per statum debilem, torpidum vesicae urinariae, qualem provocant subinde retentiones urinas volunturiae diu protractae, causae aliae debilitantes, ut evacuationes qualescumque nimiae, febris cum chartere morbosio vel putrido; per statum morbosum medullae spinalis, dum ea comprimitur per luxationem, fracturam, subinde curvaturam nimiam spinae dorsi, per hydrorrhachiam, per accumulationem puris vel sanguinis in specu vertebrarum. Non raro causae excitantes sunt mechanicae, dum collum vesicae urinariae obstruitur per mucum spissum, induratum in catarrho vesicae urinariae, vel per sanguinem coagulatum in haematuria, vel per calculum aut excrescentias, varices polypos in vesica uri-

naria, in primis collum ejus obsidentes. Subinde causam hujus retentionis constituit incrassatio vel callositas vesicae urinariae, quod frequentius contingit in senibus; post inflammationes chronicas vesicae urinariae; aegri initio experiuntur per plures annos difficultatem in urinae evacuatione, saepe guttatum, tandem nullam urinam evacuant, et in cadavere detegimus membranas vesicae ad crassitatem pollicis medii et pollicis integri, imo pollicis unius et medii. Subinde causa ischuriae urocysticae residet in partibus vicinis vel remotis, quae vel mechanice comprimendo, vel consensualiter spasmum excitando nocent; ita per uterum gravidum vel induratum, scirrhosum vel carcinomaticum, per excrementa dura in tubo intestinali accumulata, per glandulas lymphaticas in cavo abdominis tumidas et duras, in casu rariori per herniam vesicae urinariae, in mulieribus per prolapsum vesicae urinariae excitatur retentio.

§. 233.

Ischuria urethralis excitatur saepe, dum urethra obstruitur per corpora peregrina, ut calculum, mucum spissum, sanguinem coagulatum, lapillos intrusos, partem catheteris vel cereoli, longe frequentius tamen per intumescentiam membranae mucosae urethrae, quae inducitur per inflammationem, rarius acutam, saepius chronicam, in primis post urethritisdem syphiliticam per adstringentia incongrue tractatam; sub exordio incrassatio est minor, ad radicem penis restricta, tempore extenditur per majorem partem urethrae; non raro coarctatio augetur adeo, ut vix chorda musica tenuis induci possit; subinde adsunt in urethra carunculae, condylomata seu excrescentiae parvae, subinde ulcera, quae impeditur urinae evacuationem. Vitia haec cognoscimus partim e symptomatibus morbi relatis, partim ex evacuatione urinae abnormi, partim ex investigatione penis accurata, non tantum visu et tactu, sed catheteris ope instituta. Subinde in casibus rarissimis causa ischuriae est praeputium ex integro concretum, vel urethra imperforata ut vitium congenitum, subinde phimosis,

paraphimosis, hernia scrotalis nimis magna urethram constringendo evacuationem urinae impediunt; subinde inflamatio, suppuratio, induratio vesicularum spermaticarum, frequentius adhuc prostatae, urethram ad radicem penis comprimendo, ischuria causam constituant. Saepe nec vitiū organicum, nec phlogosis detegi possunt, sed ad irritabilitatem tantum morbose exaltatam urethrae concludere possumus, qua praeſente provocatur spasmus retentionem inducens per ipsam catheteris impositionem. Cognoscimus hanc speciem ischuriae urethralis, quod non est constans, spasio soluto catheter imponi, et urina evacuari potest. Subinde haec species ischuria est paralytica, per causas debilitantes, ut per onaniam inducta.

§. 234.

Momentis nosographicis ac nosogeneticis ischuria omibus accurate collectis diagnosim in singulo casu individuali construimus, et tunc de exitu morbi sententiam probabilem annunciamus. Saepe ischuria est morbus levior, causis excitantibus remotis sponte evanidus, non raro morbum gravissimum, imo letalem constituit. Ut prognosim cum probabilitate pronunciemus, attendimus. ad sedem, intensitatem, durationem, momenta pathogenetica et complicationem morbi. Ischuria urethralis ceteris paribus est minus periculosa, quia directe in causam morbi agere possumus, majoribus periculis stipatur ischuria cystica et ureterica, maximis renalis. Ischuria recens, simplex, nec gravibus symptomatibus juncta facilius curae rationali cedit, quam morbus chroniens et symptomatibus gravioribus stipatus. Ischuria spasmodica ceteris paribus est minus pertinacenda, inflammatoria cum febri valida juncta pericula adfert intensitati et extensioni inflammationis adaequata; adhuc magis periculosa est ischuria paralytica, in primis connexa cum vitiis organicis arti rebellibus. Per ischuriam talem diu durantem, enjus causa in urethra vel vesica urinaria residet, urina accumulatur, vesica urinaria nimium extenditur, imo subinde extenduntur in molem monstrosam

etiam ureteres et pelves renum; statu aegri paralytico existente dolores nulli percipiuntur, sed saepe saepius per urinam retentam, acriorem redditam irritantur organa uropoëtica, sic inducitur inflammatio, initio in collo vesicae urinariae, unde non raro extenditur per vesicae partem majorem, in ureteres et renes, tuncque experitur aeger dolores summos, tenesimum, nisum continuum urinam evacuandi, spasmos, febrim validam cum charactere nervoso septico, cito letali. Subinde vesica urinaria rumpitur et lotium exitu letali in cavum abdominis effunditur. Saepe aeger non enecatur illico, sed inducuntur status molesti per plures annos excurrentes; in casu rarissimo dilatatur urachus, et in umbilico formatur uleus urinam fundens, subinde in regione perinaea, in vagina, in intestino recto, in regione inguinali, vel infra symphysim ossium pubis generantur abscessus, qui aperti constituunt fistulas urinarias, non raro plures, cum quibus aeger vitam licet miseram protrahit in annos complures, donec inflammatio nova accesserit, in gangraenam ac sphacelum letalem terminanda. Per therapiam rationalem mature adhibitam exitus huius nesti praecaveri, et aeger saepe pristinae sanitati restituiri potest.

§. 235.

In therapia rationali conamur causas excitantes forte adhuc praesentes removere, sic mucum inspissatum, vel sanguinem coagulatum urethram obstruentem partim somentis, cataplasmatibus, peniluvio, injectionibus emollientibus resolvimus, calculum urethrae infixum extrahimus, excrementa indurata in intestino recto accumulata clysmatis aut purgantis ope evacuamus, herniam vel prolapsum vesicae urinariae ad situm normalem reducimus, morbum alium sympathice, symptomatice vel antagonistice ischuriām excitantem therapia congrua impugnamus.

Causa excitante haud amplius praesente, vel haud cito removenda, ut accidit sub graviditate, sub ischuria calculosa, vel dum retentio inducitur et sustentatur per vari-

tes, aneurysmata, indurationes, tunc conamur saltem periculum urgens tollere, ne per retentionem diutius durantem aeger conjiciatur in statum miserrimum et enecetur. In tali casu indicationem curae desumimus a charactere dynamico organico, qui non raro in ischuria tam renali, quam ureterica, cystica et urethrali characterem phlogisticum energicum exhibet; tunc methodus anti-phlogistica est maxime indicata, remotione cansarum omnium, quae in organis uropoeticis irritationem majorem inducere valerent; ideo commendamus quietem sunniam, saepe necessaria est evacuatio sanguinis, praesente febri valida phlebotomia, saepius sufficit hirudinum applicatio, subinde repetita. Saepe post institutam sanguinis evacuationem justam symptomata ischuriae imminentur; ut ex integro dispareant, commendamus interne decoctum radicis althaeae, salep, emulsionem seminum amygdalarum dulcium, seminum cannabis, emulsionem oleoso-gummosam; externe applicamus regioni hypogastricae, perinaeae cataplasmata emollientia, intestino recto injiciimus clysmata emollientia; his haud sufficientibus aegrum imponimus semicupio tepido emollienti; alvum obstopam, symptomata morbi augentem, reseramus per clysmata emollientia, vel exhibemus interne scopo purgante oleum blandum olivarum, amygdalarum dulcium, vel ricini, his effectu destitutis calomelam; purgantia salina alia, licet anti-phlogistica dicta, eo magis acriora deastica, non minus diuretica, statum inflammatorium augere valentia, contra-indicata sunt; sola emollientia, subinde ad reversionem molestorum symptomatum etiam longiori tempore continuanda sunt.

§. 236.

Nec tamen omnis ischuria characterem inflammatorium habet, ideo non tollitur omnis per methodum anti-phlogisticam laudatam, nam saepe producitur retentio urinae per solam irritabilitatem morbose exaltatam; contra talem ischuriā spasmadicam initio tantum commendamus interne emollientia, externe cataplasmata et clysmata emollientia,

bene gnari, quod sub forma spasmi non raro phlogosis lateat; dum per observationem continuatam convincimur de indole morbi tantum spasmatica, tunc usum instituimus narcoticorum, regioni hypogastricae inungimus oleum hyoscyami vel cicutae coctum, cataplasmatibus addimus pulveres herbae cicutae, hyoscyami, subinde capitum papaveris albi, foliorum nicotianae, belladonnae; subinde catheterem in vesicam imposito potest injectio decocti emollientis, emollienti-narcotici in vesicam urinariam suscipi; interne exhibemus infusum florum chamomillae vulgaris vel florum tiliae, spasmis et doloribus perdurantibus recurrimus ad narcotica fortiora, ut extractum hyoscyami, cicutae, belladonnae, opium, acidum hydrocyanicum vel aquam lauro-cerasi.

In ischuria per cantharides excitata commendatur camphora ut remedium specificum, quod tantum in subjectis hysterics ac hypochondriacis contra dolores ac spasmos a cantharidibus sine inflammatione provocatos utiliter adhibetur, inflammatione enim praesente prius methodus anti-phlogistica et emollientia in usum vocari debent.

Subinde ischuria gravis jungitur febri charactere nervoso notata cum debilitate vera, tunc adhibemus remedia per naturam febris individualem indicata, ut subinde valerianam, camphoram, moschum et castoreum.

Siebenhaar, Harnverhaltung und glückliche Anordnung einer neuen Blasensomentation. (Hufeland's Journ. der pract. Heilkund. 1833. Februar. S. 120.)

§. 237.

Ischuria torpida s. paralytica tollitur per remedia stimulantia gradui morbi convenienter adhibita; saepe cum utilitate conspicua adhibemus linimentum volatile paratum ex axungiae porci uneia una cum spiritus salis ammoniaci caustici drachma una vel drachmis duabus, quod omni tercia hora inungimus regioni hypogastricae, sacro-lumbali et perinaeae; torpore majori existente addimus eidem unguento camphoram vel aetherem vitrioli vel

oleum destillatum terebinthinae vel tincturam cantharidum, vel applicamus sinapismos, emplastrum cantharidum ad regionem sacro-lumbalem. Paralysi in majori gradu evoluta externa remedia sola haud sufficient, interna quoque stimulantia ac roborantia necessaria sunt, in primis virtutem magnam exerit radix et flos arnicae, quorum virtus exaltatur addita camphora vel aethere vitrioli, in primis autem addito spiritu cornu cervi jam simplici, jam succinato; effectu stimulante nedum sufficiente observato indicatus est phosphorus, cuius usus tam internus, quam externus in casibus individualibus plurimum praestitit. In hac specie ischuria etiam electricitas, galvanismus et magnetismus utiliter adhibebantur, circumspectio tamen summa necessaria est, ne per stimulantia minus caute exhibita provocetur inflammatio periculosa.

§. 238.

Per remedia casui individuali congrue adhibita saepe saepius morbum molestum et periculosum feliciter tollimus; occurunt tamen casus, in quibus therapia pharmacorum ope suscepta effectu desiderato destituitur; non raro in collo vesicae urinariae, vel in urethra haeret obstaculum pharmacis haud cedens, urina semper magis accumulatur, periculum de momento in momentum increscit, et sine evanescione urinae vita aegri maximis periculis exposita est, in tali casu indicata sunt auxilia chirurgica, et quidem:

1mo. Applicatio catheteris, cuius ope urina evanescatur, et saepe symptomata molesta statim silent; remedium tamen hoc est minime indifferens, imo non raro valde noxiun. Per applicationem ejus incautam saepius inflammatio minor exaltata fuit, imo subinde urethra morbose tenerior perfossa, ulens fistulosum inductum in scrotum apertum, subsecuta infiltratione urinae letali; ideo investigatione summa cum sedulitate suscipienda est, et inflammatione in urethra vel collo vesicae urinariae praesente catheteris applicatio commendari non debet, sed phlogosi omni absente, si forte urethra obstruatur muco spisso vel san-

guine coagulato, vel si ischuria fuerit paralytica, vel impedimentum excretionis mechanicum ab utero gravido vel morbose tumido vel hernia haud cito reponenda, tunc catheter maxime indicatus est; subinde spasmus sub ipsa applicatione provocatus impedimentum constituit, tempore transitorium; non raro applicatio catheteris repetita necessaria est, donec per therapiam individualem status organorum uropoëticorum normalis restitutus fuerit. Ipse catheter curam morbi non perficit, tantum molestum unum symptoma pro tempore removet, therapia rationali tantum causas morbi removere intendimus. Causa frequens in ipsa urethra haeret, coaretatio ejus inducta per incrassationem membranae mucosae, quae remanet post inflammationem, quacunque causa provocatam; frequentissime post urethritidem syphiliticam, et in tali casu curam primam dirigimus contra morbum syphiliticum latius extensem, symptomatis ejus devictis immediate therapiam instituimus contra coarctationem urethrae, quae perficitur.

2do. Per usum rectum cereolorum, *bougie* dictorum diversae crassitie; coarctatione in gradu eminentiore existente sub exordio curae tantum chordam musicam tenuem applicamus, successive chordam crassiores, tandem cereolos, inprimis e gummi elasticis confectos, tubulosos commendamus, quos vel albumine ovi, vel oleo blando inungimus, et caute urethrae imponimus, donec in vesicant urinariam penetraverit, relinquimusque initio tantum per medianam horam mane et vesperi, ne per irritationem longiorem status inflammatiorius provocetur, successive retinetur cereolum per uoam usque duas horas, continuaturque usus ejus tam diu, donec aeger rivo pleno urinam mittere valuerit. In morbo minus inveterato sufficit unus alter-ve mensis pro cura, secus per menses complures, imo per annos continuari debet applicatio cereolorum, nec emendatione subsecuta usus eorumdem statim seponendus est, potius per mensem unum alternum-ve adhuc continuandus, et cura terminata, quamprimum aeger in evacuatione urinae vel minimam difficultatem persentit, illico usus ce-

reolorum resumi debet; effectum salutarem exercent partim mechanice dilatando urethram, partim dynamice irritando et vasorum resorbentium activitatem exaltando. Compositiones diversae cereolorum sunt superfluae, non raro noxiae, simplicissimi scopo satisfaciunt, sed ad obtinendum effectum salutarem debet aeger potentias nocentes evitare, nec per motum corporis majorem, nec per potus spirituosos, nec per irritationem qualemcumque genitalium effectum cereolorum salutarem impidire.

Nec cereoli possunt sanare omnem ischariam urethralem, si causam retentionis constituerint spasmui, tunc cereoli irritando nocent, non minus dum in urethra adfuerit ulcus vel carunculae, condylomata, excrescentiae parvae fungosae, tunc non raro utiliter adhibetur remedium chirurgicum:

3to. Applicatio lapidis caustici vel lapidis infernalis in urethram, ope instrumenti peculiari, quod primus proposuit Hunter, et nunc magis perfectum reddidit Ducamp.

B. Phillips, a treatise on the Urethra, its diseases, especially stricture, and their cure. London. 1832.

§. 239.

Per remedia huc usque laudata perficitur subinde ischuria chronicae cura, sed tantum lente; subinde autem evacuatio urinae impedita aegrum conjicit in summum vitae periculum, nisi auxilium promptum administratum fuerit, quod consistit:

4to. In punctura vesicae urinariae. Dum in collo vesicae urinariae phlogosis nulla observatur adesse, et vesica urinaria lotio extensa adhuc in cavo pelvis haeret ita, ut in regione perinaea et digito in intestinum rectum vel in vaginam intruso vesica urinaria tensa distingui possit, tunc punctura potest suscipi aut in perinaeo, aut in vagina, aut in intestino recto. In easibus longe pluribus, ubi urina catheteris ope evacuari non potest, obstatum haeret in collo vesicae urinariae, quod frequen-

tissime est inflammatum, quia paracentesis differtur, donec alia remedia probata sunt, tunc vesica per urinam nimis extensa elevatur in cavum abdominis ita, ut acu triquetra in perinaeo vel intestino recto intrusa vix attingi possit, tunc indicata est paracentesis supra symphysis ossium pubis, ubi vesica urinaria fluctuans manu distinguatur, acu triquetra intrusa urina per canulam argenteam evacuatur, et relinquitur in vesica per plures etiam dies, donec per therapiam rationalem causae retentionis remotae fuerint; evacuatione urinae per urethram subsecuta canula excipitur, et vulnus cito sanatur.

Cura feliciter terminata ad recidivam molestam praecavendam causae excitantes scrupolose vitari, et contra statum morbosum in organis uropoëticis forte residuum cura longiori tempore continuari debet; ita dum ischuria inducta fuit per incrassationem vesicae urinariae vel urethrae, exhibemus interne cicutam cum calomela, externe simul regioni hypogastricae et perinaeae inungimus unguentum hydrargyri cinereum cum unguento althaeæ et cicutæ.

U R O L I T H I A S I S.

§. 240.

Calculi in genere sunt concrementa dura, quae in diversis partibus corporis e liquidorum particulis terrestribus et salinis per praecipitationem et crystallisationem generantur; ita observamus calculos e bile in ductibus biliosis ac cystide fellea, e saliva in glandulis ac ductibus salivalibus, e lacrymis in organis lacrymalibus, subinde etiam in partibus solidis, ut ligamentis, tendinibus, musculis, in visceribus diversis, in pulmonibus, corde, in valvulis ejus, in membranis arteriarum et venarum, in ipso cerebro, in primis in glandula pineali; frequentissime tamen calculi generantur in organis uropoëticis, vocaturque pro-

cessus hic morbosus urolithiasis vel urolithia, qui morbus hominem affligit gravissimis molestiis, ideo etiam attentionem medicorum omnis aevi in se convertit. Jam in operibus Hippocratis invenimus morbi descriptionem, Celsus autem docuit etiam operationem calculum eximendi, quae doctrina per conatus medicorum recentiorum maxime exculta est.

Brendel, Diss. de lapidicina microcosmica. Vittebergae, 1710.

Nicolaï, Gedanken von der Erzeugung der Steine im menschl. chen Körper, insonderheit in den Nieren, der Urin- und Gallenblase. Halle. 1759.

N. Robinson, a complete treatise of stones, gravels and other sabulous concretions. London. 1772.

W. Adams, Disquisition on the stone, gravel and other diseases of the bladder and kidneys. London. 1773.

P. Camper, Observationes circa mutationes, quas calculi subeunt in vesica, e Belgico sermone in Latinum translatae a J. Szombathy. Pestini. 1784.

J. J. Hartenkeil, Tractatus de vesicae urinariae calculo. Bambergae et Virceburgi. 1785.

H. Link, de analysi urinae et origine calculi. Göttingae. 1788.

Meckel, Diss. continens duas observationes circa calculos in corpore humano inventos. Hala e. 1788.

W. Austin, on the origin and component parts of the stone in the urinary bladder. London. 1791.

— (Samml. auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte, Bd. XVI, S. 289.)

A. P. Wilson, an enquiry into the remote cause of urinary gravel. London. 1792.

— Untersuchung über die Entstehung des Blasenstein und Grieses, a. d. engl. Stendal. 1795.

A. N. Scherer, die neuesten Untersuchungen über die Mischung der Blasensteine. Jena. 1800.

H. Johnson, Practical observations on urinary gravel and stone. Edinburgh. 1800.

A. Marcet, an essay on the chemical history and medical treatment of calculous disorders. London. 1817, 1819.

- A. Marcey, Versuch einer chemischen Geschichte und ärztlicher Behandlung der Steinkrankheiten, a. d. engl. von Heinecken. Bremen. 1819.
- F. Magendie, Recherches physiologiques et médicales, sur les causes, les symptomes et les traitemens de la gravelle. Paris. 1818, 1828.
- Physiologisch-medizinische Untersuchungen über die Ursachen, Symptome und Behandlung des Grieses, und Blasenstein, a. d. franz. Leipzig. 1822.
- L. V. Brugnatelli, Litologia umana, publ. par G. Brugnatelli figlio del autore. Pavia. 1819.
- C. W. H. Fechner, über Harnsteinkrankheit. Eisenberg. 1821.
- W. Prout, an practical enquiry into the nature and treatment of gravel, calculus and other diseases connected with a deranged operation of the urinary organs. London. 1821.
- Untersuchung über das Wesen und die Behandlung des Harngrises und Harnsteines, a. d. engl. Weimar. 1823.
- R. Smith, a statistical enquiry into the frequency of stone in Great-Britain and Ireland. Bristol, 1822.
- W. Kern, die Steinbeschwerden der Harnblase, ihre verwandten Übel und der Blasenschnitt bey beyden Geschlechtern. Wien. 1828.

§. 241.

Urolithiasis se manifestat diversis symptomatibus, pro diversa sede, compositione et complicatione calculi. Relate ad sedem distinguimus calculum renale, uretericum et urocysticum; rariores sunt calculi urethrales, vaginales, perinaeales, scrotales et intestinales.

Frequentissime genesis calculorum inchoat in renibus, in calicibus et pelvi eorum, sub exordio sunt minimi, successive incrementa capiunt ad plures uncias, imo subinde libras; sub incremento lente locum habente nonnunquam organismus successive assuefit his corporibus peregrinis, et tunc longo tempore portantur calculi, quin praesentiam suam manifestent symptomatibus molestis. Casus tamen tales calculorum renalium sunt rariores, saepius experitur jam aeger symptomata varia prodroma urolithiasis futurae, scilicet perturbatas functiones organorum di-

gestionis et chylificationis, appetitum cibi jam immunitum, jam excessivum, jam peculiariter depravatum, saepe vexatur aeger flatulentiis, doloribus gastricis, entericis, et alvo obstipa. Ex his cognoscimus quidem, statum viscerum abdominalium a norma recedere, nec tamen definire valamus adhuc formam morbi futuri, nam complures ut haemorrhoides, arthritis, hypochondriasis similia prodroma habent, ideo diagnosis lithiasis incipientis eo est difficilior, quod non raro plures e nominatis morbis simul organismum infestant. Sub ulteriori morbi incremento comparent symptomata, e quibus cum probabilitate majori concludimus ad nephralgiam calculosam; aeger nemp̄ sentit dolores in regione renum, raro utroque, frequentius in sinistro, jam obtusos, jam acutos, qui sub quiete mitiores evadunt, silent, sub motu corporis vehementiori, dum forte cadit, saltat, equitat, vel curru celeriter vehitur per strata aspera, tunc dolor revertitur et saepe intensus, neque manet dolor limitatus ad regionem renalem, sed extenditur per femur lateris ejus ita, ut motus femoris impediatur, subinde in vicem doloris accusat aeger sensum stuporis in regione lumbali ac femorali; sub dolore intensori experitur aeger enteralgiam gravem, gastralgiā, vomiturbationem, vomitum; evacuatio urinae tantum in illo casu impedita est, dum calculus utriusque renis pelvis replet, saepe tunc nulla urina defertur in vesicam urinariam, ideo illa tangitur vacua, aeger nisu omni destituitur lotium evacuandi, nec catheteris ope educi potest. Longe frequentius calculus tantum in uno rene residet, tunc secretio et excretio urinae continuant, sed urina est mutata et dolores provocati in renibus per consensum extenduntur etiam in vesicam urinariam et urethram, ideo experitur aeger tenescium seu nisum ad urinam mittendam, excretio perficitur cum aliqua difficultate, dolores accusat aeger in peni, glande, cum erectione frequentiori, dolores persentit in testiculis, qui per cremasterem spasmodice comprimuntur, et versus anulum inguinale attrahuntur, urina ipsa est jam colore profundiore fusco tineta, jam muco copioso mixta ita, ut

in vase grumi mneosi reperiantur, non raro etiam sanguis cum urina secedat.

Ex symptomatibus attente collectis et inter se combinatis suspicio de praesentia calculi renalis fundata, nedum tamen certa est, nam symptomata omnia enumerata producentur subinde per nephritidem catarrhosam, per haemorrhoides et arthritidem renes in primis afflentes. Postquam symptomata aliquo tempore duraverunt, remittunt, cessant, et post unum alterum-ve diem observat aeger in urina evacuata calculos parvos cum sanitate relativa revertente, atque tunc diagnosis urolithiasis nephriticae jam certa est. Evacuatio calculi minoris e renibus cum urina perficitur saepe absque omni dolore, saepius tamen sub hoc transitu et doloribus, et spasmis multum affligitur aeger.

Saepe calculus parvus renalis defertur ad ureterem, ibi infixus manet, incrementa nova capit, et sic oritur calculus uretericus; rarissimis in casibus generatur in alterutro uretere originarie calculus, quem agnoscimus e dolore in regione ureterum fixo, saepe recurrente, cui junguntur dolores partium vicinarum, similes illis per calculum renalem productis; subinde evolvitur ischuria ureterica, nec tamen semper, nam observationes docuerunt, quod calculi in uretere reperti fuerint sulco instructi vel perforati, tubulum calculosum referentes, et sic evacuationem urinae haud impediunt.

§. 242.

Calculi minores ex uretere in vesicam urinariam ducti non evacuantur semper, sed increscunt et tunc vocantur calculi vesicae urinariae, qui subinde originarie in vesica nascuntur, et in casibus rarioribus molem etiam majorem adipiscuntur, quin se manifestent symptomatibus morbosis; in casibus tamen longe pluribus excitant symptomata valde molesta; aeger in regione pubis vel perinaea persentit dolorem subinde obtusum, saepe intensum, qui augetur sub omni motu corporis, jungiturque nisi frequenti et dolorifico urinam evacuandi, quae evacuatio per-

ficitur cum summa molestia, inter dolores ac tremores, corpore saepe antrorsum versus inclinato et pedibus divaricatis; urina est saepe muco, materia puriformi saepe sanguine mixta, diutius retenta in vesica urinaria corruptior ideo evacuata peculiarem foetorem spargit; per consensum excitantur nauseae, vomituritiones, vomitus, alvi evacuatio difficultis, dolorifica, irritatio penis frequens, unde plurimi persentiantur pruritum molestum in glande, qui cogit ad frictionem, testiculi violenter elevantur, et comprimuntur.

Ex symptomatibus omnibus cum probabilitate concludimus ad praesentiam calculi in vesica urinaria haerentis, nec tamen dubium deletur, cum eadem symptomata etiam per cystitiidem, scirrum et canerum vesicae urinariae provocantur; ideo ad diagnosim certam construendam investigatione necessaria est. In aegro macilento calculus major in vesica urinaria haerens digito in vaginam vel intestinum rectum imposito et altera manu regionem hypogastricam comprimendo, tactu cognoscitur, quod criterium in aegro pingui et calculo parvo existente, nihil informat; ideo tunc necessaria est investigatio ope catheteris metallici, quo cante in vesicam urinariam immisso per contactum calculi excitatur sonus et medico et adstantibus perceptibilis; hoc criterium in plurimis casibus certum, in nonnullis dubium relinquit; scilicet subinde vesica urinaria jam longo tempore in statu morbo constituta efformat sacculos parvos (diverticula) calculum recondentes, qui per catheterem haud continguntur; vel calculus minor est involutus muco spisso crasso; vel per inflammationem in vesica urinaria generata est pseudomembrana obvolvens calculum, et sub talibus circumstantiis per contactum catheteris nullus sonus elicetur.

Subinde calculus penetrat in urethram, et ibi fixus manet; subinde decidit in perinaeum, vaginam, serotum, intestinum rectum, atque in his partibus symptomata morbos molesta excitantur; diagnosis tunc facilis est, cum calculus et videri et tangi potest.

§. 243.

Diagnosis calculi relate ad sedem est magni momenti, nec tamen sufficiens ad therapiam rationaliem suscipiendam, quia natura calculorum in diversis partibus repertorum multum variat, ideo necessarium est calculos ipsos investigare. Differentiam observamus relate ad numerum, magnitudinem, figuram, superficiem externam, texturam, colorem, et partes constitutivas. Non raro calculus est unicus, saepe sunt plures minores, subinde etiam centeni in renibus reconditi. Saepe sunt minimi, ut grana milii, sabuli vel arenae, non raro, magnitudinem lentis, pisii acquirunt; quotiescumque ita parvi sunt, ut per urethram evacuari possint, vocantur arena vel sabulum; sed saepe sunt tantae molis, ut plures uncias, imo libras ponderent, talesque figuram exhibent diversam, subinde ovalem vel longitudinalem, a ductibus excretoriis, per quos transeunt, impressam, calculi vesicales sunt saepe figurae globosae, saepe irregulares, polyedrae, saepe externa superficies glabra, quasi polita, saepe aspera, hispida, crystallis aculeis similibus obsita; relate ad texturam reperiuntur calculi aggregati, e granis minoribus et tunc sunt friabiles, saepe textura est densa, et tunc distinguitur in medio nucleus seu centrum, ex quo lamellae radiorum instar versus peripheriam extenduntur, saepius lamellae sunt sibi invicem impositae, ut in conchis. Color calculorum observatur varius, minores habent frequentissime colorem flavo-rubescensem, non raro album, cinereum, fuscum, nigricantem, coerulecentem. Saepe textura et color aequabilis est ita, ut calculus videatur esse simplex, homogeneus, saepe et textura, et color in eodem calculo variant, unde concludimus etiam partes, constitutivas in uno eodemque calculo vario modo conjunctas esse. Compositio calculorum antiquis ignota, per analyses chemicas primo a Scheele, dein a Fourcroy et Vauquelin institutas, eruta fuit, e quibus discimus, partem constitutivam calculorum praecipuam esse principium uricum seu ureum, partem maxime animalisatam, et ex azoto

compositam. Secundum observationes recentissimas Anglorum et Gallorum duae tertiae partes calculorum sunt urates, ita ut acidum uricum frequenter tantum cum gelatina animali et fibrina jungatur in crystallos, frequenter cum ammonia, soda, magnesia, subinde calcarea, ita ut urates jam sint simplices, jam triplices, cognoscanturque colore rubro-flavijante jam profundiore, jam dilutiore, et solvantur per kali causticum ac acidum nitrī.

Possunt urates frequentiores calculi componuntur ex acido phosphorico, quod neclitur frequentissime cum calcarea, subinde cum ammonia et magnesia. Nec tamen omnis calculus albus est phosphas calcis, nam reperitur etiam carbonas calcis, cretæ similis, qui magis friabilis acidis effervescit, quod in phosphate hanc observatur. Subinde componitur calculus ex acido oxalico et calcarea, tales calculos parvos, pellucidos topassii instar, descripsit Magendie. Rariores adnotavit Mareet, qui constabant ex acido cystico, alii ex acido xantico.

§. 244.

Ad genesis calculorum cognoscendam causas etiam eorumdem exquirere debemus, atque tunc observamus saepa alimenta et potulenta noxia esse; per cibum copiosum animalem, potus spirituosos excessivos azotum redditur in organismo prædominans, et ideo facile generantur urates, testante Magendie per excessivum esum acetosellae generabatur oxalas calcis. Observatores non pauci ad causas excitantes referunt vina horna, nedum satis fermentata, vitam sedentariam otiosam, animi affectus tristes, refrigerium, excessus in Venere, evacuationes quasvis nimias, ut sudorem nimium, quod sic partes terrestres reddantur in organismo prædominantes; ideo etiam nocet defectus potulentorum, quia particulae saline in urina non satis diluantur. Interim saepe homines multi potentissimis nocentibus enumeratis expositi calculosi haud evadunt, dum alii iisdem potentissimis subtracti calculos generant; unde concludere debemus, genesis calculorum maxime determinari per

dispositionem peculiarem, quam lithicam vel calculosam nominamus, in qua provocanda influxum manifestum exerit clima, docet enim observatio, calculos esse rarissimos sub zona frigida et calida, frequentiores in zona temperata; testante Richter in provincia Göttingensi calculi biliosi sunt frequentes, urinales rarissimi; in Germania meridionali, Italia, Gallia, Anglia est morbus frequens, nec in Hungaria rarus. Dispositio propagatur in soboles ita, ut non raro jam in foetu, utero matris inclusu, vel statim primis vitae annis efformetur calculus. Secundum observationes a Marcell factas inter 366 calculosos erant 271 ante pubertatem, qui needum 14tum annum aetatis attigerant. Adnotante Smith in nosocomiis Bristol, Leeds et Norwichi spatio 44 annorum inter 1058 operatos fuerunt tantum 44 mulieres, unde patet dispositionem majorem adesse in sexu virili.

Praesente tali dispositione generatur calculus frequentissime in renibus, raro in ureteribus vel vesica urinaria, nucleum ejus constituit arena, constans ex urate vel phosphate, saepe sanguis coagulatus vel fibrina indurata, cui deinde sales ex urina praecipitati adhaerent; subinde in calculis vesicalibus nucleum constituit corpus peregrinum quacunque via in vesicam delatum, ut semen, frustillum catheteri vel ramuli arboris, in vulneribus sclopetariis particula vestis, ossis, globulus.

§. 245.

Subinde accidit, ut symptomata, quae calculi genesis praedesserunt, successice dispareant, et organismus corpori huic peregrino ita assuefiat, ut nulla incommoda percipiatur; in casibus tamen longe plurimis calculus efformatus ciliis vel tardius symptomatibus molestis se manifestat; minores saepe evacuantur per urethram, in primis mulieribus; sed saepe eliminatio haec est impossibilis, tunc non raro calculi irritando provocant inflammaciones, quae per therapiam rationalem saepe quidem feliciter resolvuntur, sed intensiores, neglectae vel perverse curatae resolvi non possunt, transeunt in gangraenam, sphacelum exitu semper

letali. Saepius inflamatio talis evadit chronica, quae generat incrassationem, indurationem chronicam, in primis membranarum vesicae urinariae, et tunc prognosis morbi complicati est adhuc magis infausta. Saepe phlogosis per calculum provocata provocat suppurationem, exitu diverso; habemus exempla calculorum nephriticorum, qui abscessu in regione lumbali evoluto feliciter eliminati sunt, casus tapentales ad raritates pertinent, nam abscessu licet renis externe aperto, haud sequitur semper sanitas, per ichorem acrem ulceræ efformantur sinuosa, et aeger inter symptomata febris hepticae extinguitur. Calculus in vesica urinaria retentus abscessu aperto defertur in prostatam vel perinaeum, vaginam, scrotum vel intestinum rectum, exitu subinde felici, saepius ob ulceræ fistulosa et urinae evacuationem impeditam exitu minime desiderato. Subinde per calculos etiam majores in organis uropoëticis impactos haud impeditur evacuatione urinae, quia calculi tales sunt instructi jam sulco laterali, jam tubulo in medio; ita P. Frank refert casum calculi intestino recto impacti, in medio ita perforati, ut per tubulum ejus ascarides lumbricoides evacuantur. Casus tamen tales minus molesti rariores sunt, in plurimis excitant calculi symptomata gravissima, et per illa cogunt. aergrum ad opem quaerendam; propterea conabantur medici ab omni aevo naturam morbi cognoscere, per therapiam rationalem removere, aut saltem mitigare.

§. 246.

In therapia urolithiasis triplicem indicationem formamus: 1mo conamur symptomata morbi mitigare ac tollere, 2do calculum eliminare, 3to genesim novam calculi impedire. Indicatio quidem prima est calculi eliminatio, sed haec raro potest statim suscipi; diagnosis nempe relate ad sedem et compositionem calculi saepe tantum post observationem longiorem potest construi, et symptomata morbosa incrementia curam radicalem impediunt.

Symptomata morbi molestissima sunt: difficultas in urinae evacuatione, dolores, spasmī, et symptomata alia con-

sensualia, quae non raro, calculo tantum causam praedisponentem constituent, excitantur per influxus diversarum potentiarum nocentium; tunc e symptomatibus praesentibus et ex indole potentiarum nocentium conamur definire statum illum dynamico-organicum abnormem in organis uropoëticis existentem; saepe est status manifeste inflammatorius, calculo in renibus vel ureteribus vel vesica urinaria vel urethra existente, tunc methodus anti-phlogistica est adhibenda; in gradu minimo phlogosis praeter quietem corporis et animi summam, remotis omnibus irritantibus, sufficit interne exhibere emollientia, externe applicare fomenta, cataplasmata, clysmata emollientia et semicuprum tepidum emolliens; phlogosi vel aliquantum exaltata, sanguinis evacuatio subinde universalis, saepius topica hirudinum vel cucurbitularum cruentarum ope instituenda est. Saepe nulla inflammatio evoluta est, sed dolores et spasmi in subjectis tenerioribus, hysterics, hypochondriacis, temperamento nervoso praeditis dependent tantum a sensibilitate et irritabilitate morbose exaltatis, tunc adhibemus narcotica cum emollientibus, externe unguentum althaeae cum unguento cicutae vel hyoscyami, oleum hyoscyami vel cicutae coctum, cataplasmata emollienti-narcotica, interne commendamus emulsionem oleosogummam, emulsionem seminum cannabis cum extracto cicutae vel hyoscyami; his haud sufficientibus praescribimus aquam lauro-cerasi, opium jam solum jam ipecacuanha jam calomela junctam, addimus illud et unguento, et clysmati, semicupio simul emoliente in usum vocato. Alvum obstipam reseramus clysmate emolliente, et haud sufficiente interne nunquam exhibemus purgantia salina, vel drastica, sed tantum oleum blandum lini, vel olivatum, vel amygdalarum dulcium, vel ricini e seminibus rite conservatis recenter pressum; effectu desiderato nedum secuto recurrimus ad calomelam.

Per methodum nunc laudatam dissipamus in plurimis casibus symptomata molesta, sed ne eadem revertantur debet aeger vitae regimen congruum observare, causas omnes genesis calculorum faventes et organorum uropoëticorum irritationem quoquo modo procurare valentes sollicite evitare,

ut refrigerium, calorem externum nimium; ne jaceat in lecto molli, sed duro, nec diutius, quam necesse est somno moderato vires reficere; nam per moram in lecto diu protractam excitatur calor major, cum sudore, urina stagnat, ob genitalium irritationem contingunt erectiones calculosis noxiae, ideo aeger decubitum in dorso vitare, semper latralem seligere debet; alimentis utatur tantum blandis, cibis animalibus ac vegetabilibus mixtis; observatio enim docet, per solum victum animalem, per carnes et pisces pingues, fumo induratos, multo sale aut aromatibus acribus conditos, caseum majori quantitate ingestum calculi genesim promoveri; pro potu maxime convenit aqua pura, cuius usus nunquam debet negligi; nam per aquam sales in urina diluuntur; potus spirituosi, in primis crematum et liquores alii destillati spirituosi noxii sunt, et irritando, et calculi genesim promovendo; ne aeger unquam diu jaceat vel sedeat, nam sub quiete tali diu protracta lotium in organis uropoëticis stagnat, et sic calculus increscit; motus moderatus convenient, nimius nocet, in primis motus in equo, vel in curru veloci per strata aspera; non secus irritatio genitalium omnis, coitus, animi affectus vehementes, in primis ira, moeror et tristitia sollicite evitari debent.

§. 247.

Per artis praesidia enumerata imminuimus molesta symptomata morbi, quin morbum ipsum tollamus; tempore tamen curae adhibitae ex observato effectu remediorum naturalium morbi exactius cognoscimus, et tunc indicationem formamus alteram, ut calculum e corpore eliminemus, quem in finem ab omni tempore auxilia chirurgica efficacissima fuere. Dum calculus in urethra, vagina, scroto, perinaeo vel intestino recto haeret, tunc facilius eximi potest, difficilius dum in vesicam urinariam reconditus est, atque tunc ab antiquissimis temporibus instituta fuit operatio, *lithotomia*, rectius *cystotomia*, jam a Celso descripta et nostris temporibus post cognitiones anatomicas clariores ad magnum gradum perfectionis deducta; nec tantum in Italia, Gallia,

Anglia et Germania, sed etiam in Hungria in plurimis casibus successu felici suscepta est operatio; eo non obstante periculis stipata est, non raro ob haemorrhagiam profusam, ob affectionem nervorum magnam aeger inter convulsiones extinguitur, in primis si vesica urinaria fuerit hypercinesia affecta, valde vulnerabilis. Ideo meditabantur medici de aliis remediis calculum eximendi, et nostro tempore, idea per Gruithuisen data, Civiale post experimenta plura zelose instituta detexit instrumentum *lithothriptor* dictum, cujus ope calculus in vesica urinaria conteritur in pulverem, ut deinde cum urina evacuari possit. Per hoc inventum aegris urolithiasi affectis solamen magnum adlatum est; occurunt tamen casus, in quibus instrumenti hujus usus fieri non potest, scilicet dum urethra est valde coarctata, valde irritabilis et vulnerabilis, dum calculus est major, tunc cystotomia est praferenda, ut unicum securum remedium. Sed si calculus fuerit nimiae molis, vesicae urinariae accretus, cystidi cum parietibus vesicae urinariae connatae inclusus, tunc etiam cystotomia instituitur sine successu; unde patet, nequidem calculos e vesica urinaria semper evacuari posse per operationem, et quia aegri non pauci operationem nimis horrent, quia in genere e quinque operatis unus moritur, ideo per medicos tentamina facta sunt, calculos in vesica urinaria per pharmaca solvere et sic evacuare. Cum per analyses chemicas innotuisset compositio calculorum, et simul, quod calculi ex acido urico compositi solvantur in alcali, calculi vero ex acido phosphoricio, carbonico, oxalico vel xanthico compositi solvantur acido muriatico, et nitrico, ideo Fourcroy proposuit injectiones menstruorum horum in vesicam urinariam. In applicatione tamen remediorum horum occurunt difficultates magnae, nam compositio calculi nonnisi post evacuationem ejus determinari potest, ita ut prius dubium remaneat, alcali ne vel acidum pro menstruo seligendum sit, et non raro calculi compositi sunt e salibus tam uricis, quam phosphoricis; praeterea menstrua laudata, dum concentrata injiciuntur in vesicam urinariam, facile phlogosim periculosam provocant, diluta vero vix

effectum exerunt. Hae difficultates non deterruerunt medicos a novis tentaminibus; non multo post conatus laetos a Civiale factos Robin et descripsit apparatus, cuius ope calculus forcipe comprehensus includitur sacco ita, ut in eum menstrua injici possint, quin parietes vesicae urinariae adficiantur; nec tamen usus practicus hujus apparatus adhuc probatus est. **Prévost** et **Dumas** demonstrarunt, ope galvanismi calculum resolvi posse, quin de applicatione remedii felice homine adhuc casus ullus innotuisset.

Civiale, de la Lithotritie, ou broiement de la pierre dans la vessie. Paris. 1826.

Leroy, d'Étiolles, Mémoire sur la dissolution, le broiement de calculs urinaires, et leur extraction par l'urètre. Paris. 1827.

Heurteloup, Principles of Lithotrihy, or Treatise on the art of extracting the stone without Ineision. London. 1831.

§. 248.

Remedia laudata adhiberi possunt tantum contra calculum vesicae urinariae, nequaquam contra calculos in renibus vel ureteribus haerentes; nam contra calculos renum commendata nephrotomia tantum tentari potest, dum in regione lumbali efformatur abscessus calculum recondens; secus propter transscissionem necessariam multarum partium operatio est periculosa.

Contra calculos qualescumque per operationem haud eliminandos sunt remedia lithotriptica dicta, quorum ope calculi in organis uropoëticis contenti resolvantur; virtus remediorum horum, in dubium vocata propterea, quod ventriculo ingesta ad organa uropoëtica valde mutata et hinc inefficacia pertingunt, comprobatur per experimenta physiologica a Tiedemann et Gmelin circa digestionem, assimilationem et secretionem facta, uti etiam per experimenta de secretione urinae per Wöhler instituta, quae demonstrant, alcalia et acida ventriculo ingesta in urinam reperiri immutata. Postquam arcanum a Steffens redemptum et compositionem calenlorum ex uratibus innotuerunt, cum utilitate conspicua adhibentur contra urolithiasim alcalia,

et quidem carbonas lixivae, carbonas sodae, et carbonas magnesiae. Dum vero e calculis secedentibus cognoscimus compositionem eorumdem e phosphatibus vel oxalatibus, tunc acida proficia sunt, ut subinde acidum tartari, quem in finem pulveres e carbonate magnesiae cum cremore tartari et saccharo, eo minus efficaci observato acidum salis vel nitri, in libra una aquae vel decocti emollientis commendamus, initio sumendo guttas triginta pro nycthemero, successive augendo usque ad centum; scrupulose attendimus in effectus pharmaci, ne incaute adhibitum gastro-enteritiden periculosam excitet. Frequentius adhuc adhibentur contra calculos acidulae, quae continent in se sales alcalinos et acidum carbonicum. In orbe toto celebrantur acidulae Selteranae, in quarum vicem adhiberi possunt Billinenses, Johannisbrunnenses, in Hungaria Szalatnyenses, Füredienses, in Transylvania Borszékienses; majorem efficaciam tribuit Wichmann acidulis ad Wildungen, quarum laudes recentissime exaltavit Hufeland. Omnes tamen effectu suo salutari hoc in morbo superant aquae thermarum Carolinarum.

Remedium e laudatis aegro individuali maxime proficuum nonnisi post tentamen caute institutum definire valamus, efficacia unius comprobata, usum ejus longiori tempore continuare commendamus, ut diathesis lithica extinguitur, quem in finem causis individualibus calculo generando faventibus evitatis, vitae regimen simul congruum scrupulose observari debet.

Subinde lithiasis sustentatur per statum debilem organorum digestionis et chylificationis, tunc remedia amara et aromatica indicata sunt, ut herba cardui benedicti, centaurei minoris, millefolii, trifolii fibrini, radicis acrioribus jungimus alcalia prins laudata. Subinde sustentatur lithiasis per cacochymiam mucosam; secernitur nempe in tubo intestinali et organis uropoëticis mucus quantitate excessiva, ut inde excretio evadat torpidior, urina et calculus accumulentur, tunc utilia sunt diuretica blandiora; nunquam adhibenda acriora et balsamica phlogosim produ-

cere valentia, sed acidulae alcalinae, tremor tartari, carbonas magnesiae, radix ononis spinosae, semen dauci sylvestris, cynosbati, lignum juniperi in decocto, baccae juniperi in infuso, radix raphani, cochleariae armoraciae; herba lycopodii clavata, in nonnullis casibus sabuli profuerunt. Majorem hoc scopo laudem sibi meruere folia uvae ursi, quae in pulvere a serupulo semis usque drachmam, in decocto a drachmis duabus usque unciam semis ut lithothrypticum potens commendantur, calculum quidem formatum non resolvunt, sed quatenus statum normalem organorum uropoëticorum restituere adjuvant, genesis et incrementum urolithiasis impeditunt.

W. Brande, on the differences of the stones, and on the use of internal remedies. London. 1808. (Meckel's Deutsches Archiv für die Physiologie. BII. H. IV. S. 684.)

F. Wöhler, Über die Veränderungen, welche der Harn durch den Gebrauch gewisser Arzneimittel erleidet (Hufeland's Journal der pract. Heilkunde. 1827, Jäger. S. 86).

ARTHITIS.

§. 249.

Arthritis est ille morbus peculiaris, qui post praegressas perturbationes functionum organorum digestionis et chylificationis evolvitur cum febre, cui junguntur inflammations articulorum specificae, arthriticae dictae, quo tempore secretiones bilis, urinæ et perspirabilis materiae in cuti redduntur abnormes, minori quantitate excreuntur, processus reproductionis totus ita immutatur, ut materia ossea deponatur in varias partes solidi-molles, unde nodi vel topi arthritici efformantur.

Cum in morbo arthritico tam diversi status morbos organismi occurruunt, ideo dissentiunt nosologi de classe, ad quam referre debeant; aliqui propter inflammations articulorum praesentos ordini phlogosum inscribunt, alii

ob perturbatas functiones organorum digestionis et chylificationis ad dyspepsias, non pauci propter abnormiem processum sanguificationis et nutritionis ad cachexias referunt, alii ob dolores ferventes inter nevroses, et quidem algemata describunt; sed quia in morbo evoluto observamus excretionem urinae, bilis et sudoris impeditam, unde phaenomena plurima morbi dependent, ideo morbum cum Raemann referimus ad retentiones.

Morbus quidem jam ab antiquis medicis descriptus fuit, plurimum tamen illustratus per conamina recentiorum medicorum.

T. Sydenham, Tractatus de podagra et hydrope. Londini. 1683.

— Abhandlung von dem Podagra. Landshut. 1792.

Musgrave, de arthritide symptomatica. Oxonii. 1703.

— de arthritide anomala, sive interna. Oxonii. 1707.

— de arthritide primigenia et regulari. Londini. 1776.

J. G. Pietsch, Wahre Quelle und materielle Ursache des Podagra und aller gichtischen Krankheiten. Halle. 1772.

— Geschichte praktischer Fälle von Gicht und Podagra. Halle. 1774, 1779.

W. Grant, Some observations on the origin, progress and method of treating the atrabilious temperament and the gout. London. 1781.

— Beobachtungen über chronische Krankheiten, Bd. I. von der Gicht und der Podagra, Leipzig. 1784.

Szöts, Diss. de arthritide. Viennae. 1788.

J. Gardiner, an enquiry into the nature, cause and cure of the gout, and of some of the diseases with which it is connected. London. 1792.

— Untersuchung der Beschaffenheit, Ursache und Cur des Podagr. Leipzig. 1792.

W. Rowley, a treatise on the regular, irregular, atonic and flying gout. London. 1793.

P. J. Barthez, Traité des maladies goutteuses. Paris. 1802.

— Abhandlung über die Gichtkrankheiten. Berlin. 1803.

G. L. Oftedinger, über das Podagra und seine Heilung. Ulm. 1813.

T. Sutton, Tracts on the gout. London. 1813.

Scudamore, a treatise on the nature and cure of gout, London. 1816. 1822.

— Über die Natur und Heilung der Gicht. Halle. 1819.

J. Johnson, Practical researches on the nature, cure and prevention of gout. London. 1819.

— Über die Natur, Behandlung und Vorbauung der Gicht, in allen ihren Formen. Halberstadt. 1820.

A. Rennie, Observations on gout, critical and pathological. London. 1825.

J. Vering, Heilart der Gicht. Wien. 1832.

§. 250.

Ad morbi diagnosim construendam attentionem dirigimus in evolutionem ejus successivam; nunquam morbus subito acrum invadit, sed per septimanas plures, menses, imo annos praecedunt prodroma, quae consistunt in appetitu cibi successive imminuto, vel appetitu licet perdurante, ab ingestis tamen non experitur aeger amplius voluptatem solitam, digestio redditur tarda et molesta, in regione epigastrica percipit dolorem prementem, extendentem, ructus acidos vel ingesta redolentes, sensum ardoris e ventriculo per oesophagum in fauces ascendentis, sodam seu pyrosim; lingua saepe est impura, muco spisso illinita, sapor oris ingratus, alvus morosa, obstipa, raro liquida, intestina flatibus extensa, inde enteralgia. Simul his symptomatibus dyspepsiae junguntur saepe cephalalgia, vertigo, sensuum extenorum debilitas, subinde dolor, animi morositas, in primis pronitas major in iram, cutis siccitas et sensibilis major, urina saepe turbida, mucosa; noctes sunt inquietae, aeger quidem defatigatus vesperi pacate obdormit, sed post somnum paucarum horarum, in primis circa mesonictum excitatur, flatibus vexatur, quietem nullibi invenit, donec defatigatus versus horas matutinas iterum obdormit.

Symptomata enumerata jam pauciora, jam plura observantur semper ante evolutionem arthritidis, nec tamen propterea iis comparentibus arthritidem futuram praedicere

valemus; non raro sub regimine vitae congruo et therapia rationali concurrente symptomata illa dissipantur; vel ob dispositionem aegri peculiarem et influxum potentiarum nocentium provocatur potius morbus haemorrhoidarius, hypochondriasis, melancholia, cholo-vel urolithiasis, qui morbi prima elementa communia habent cum arthritide.

Momentis genesi potius arthritidis faventibus morbus evolvitur frequentissime sero autumno, hyeme vel incipiente vere, rarissime aestate, atque tunc symptomata prodroma augentur, anorexia, gastralgia, capitis gravitas, temulentia, lingua muco crasso obtecta, febricula cum cordis palpitatione, pulsu frequenti et irregulari, urina turbida, mucosa, saepe acidum odorem spirante. Symptomatibus memoratis breviori vel longiori tempore durantibus, aeger subito laudat emendationem insignem, experitur vigorem corporis majorem, appetitum cibi meliorem, somnum pacatiorem, in multis, animadvertente Swieten, etiam stimulus Veneris exaltatur; emendatio tamen haec brevis per unum alterum-ve diem durat; in plurimis casibus dum aeger post coenam pacate obdormit, circa mesonocium hora prima vel secunda excitatur per dolorem, quem persentit in uno vel pluribus articulis, comparente eodem tempore febri, frigore quidem exiguo, sed calore intensiori cum siti molesta, pulsu frequenti, cordis palpitatione, cephalaea, inquietudine, sapore oris ingrato, saepe ructibus et vomititione, quae febris exagit aegrum saepe per duodecim horas; urina durante febri minori quantitate excreta, docente analysi per Fourcroy et Vauquelin susceppta, continet parum acidi phosphori et adhuc minorem quantitatem urici. Post duodecim usque viginti quatuor horas febris et dolor remittunt, aeger incidit in somnum paucarum horarum, sudore universaliter terminatum, sequenti nocte fere eodem tempore revertitur febris cum dolore artenli, qui statim primis diebus rubet, calet et splendet, sieque refert inflammationem erysipelaceam, sub exordio tantum tempore febris conspicuam, sub ulteriori morbi de cursu continuam. Febris haec arthritica quotidie redit per

septem, quatuordecim usque viginti unum dies, dein immunitur et cessat, tantum partis affectae, articuli dolor, rubor, calor et tumor perdurat per duas, tres usque sex septimanas, et tempore hoc toto evacuat aeger urinam parcam, eutim habet sicciam, appetitum cibi prostratum, nauseam, ructus, vomiturbationem, gastro-enteralgiam, alvum obstipam, cephalaeam, animum morosum, ad labores consuetos minime idoneum, somnum inquietum, donec post duas usque sex septimanas symptomata cuncta remittunt, in articulis rubor, calor et dolor disparent, quo tempore observantur sudor universalis, subinde crystalli parvi in cute, urina majori quantitate cum sedimento albo cretaeo, alvus libera, pustacea, lingua depuratur, appetitus cibi revertitur, somnus pacatus se insinuat cum animo hilari. Subinde aeger ita felix est, ut insultu semel superato a morbo liber maneat; frequentius tamen evadit arthritis familiaris, habitualis, initio omni tertio vel secundo, dein omni anno semel vel bis revertitur, tandem continua aegrurn nunquam deserit, saltem aestate fervida mitioribus stipatur symptomatibus.

§. 251.

Merbus evolutus non retinet semper eandem formam, sed sub varietatibus diversis occurrit; arthritis fixa dicitur, dum inflammatio arthritica semper eundem articulum infestat, talisque maxime regularis inchoat in dige to majori pedis, qui sub febri arthritica intumescit, rubet, ealet, intense dolet, extenditur per reliquos digitos per dorsum et plantam pedis usque calcaneum, malleolos, et non raro per ipsum crus; frequentius talis arthritis sub nomine podagrae infestat tantum unum pedem, rarius utrumque. Subinde articulo pedis intacto relicto divexat merbus genu unum vel utrumque (*gonagra*), vel articulationem ossis femoris cum acetabulo ossis innominati (*coxagra*); subinde sedem figit in extremitatibus superioribus et quidem in articulis digitorum manus, carpi et metacarpi (*chiragra*), vel in articulationem cubiti (*peschiagra*),

vel in articulatione ossis brachii cum scapula (*omagra*); subinde infestat articulos spinae dorsi (*rachiagra*).

Saepe arthritis migrat ex uno articulo in alium, tunc dicitur *vaga*, et nonnunquam eodem tempore plures articulos extremitatum superiorum, inferiorum et trunci infestat (*arthritis universalis*).

Symptomatibus omnibus evolutis arthritis manifesta facile cognosci potest; difficilior est diagnosis arthritidis irregularis, anomala, in qua inflammations arthriticae in articulis haud comparent, sed prodromis morbi in longius excurrentibus observantur symptomata morbosa diversa: saepe dolores intensissimi per decursum nervorum, qui pro diversitate sedis vocantur *neuralgia*, *hemicrania*, *prosopalgia*, *odontalgia*, *gastralgie*, *enteralgia arthritica*; vocatur etiam *arthritis nervosa seu atonica*, aesi autocratia naturae sufficientem tonum et energiam pro arthritide perfecta producenda necessariam haud haberet, atque tunc per talem arthritidem anomalam praeter dolores etiam secretiones et excretiones morbosae, ut *blennorrhæae*, *haemorrhagiae*, vel *retentiones*, ut *ischuria*, *stranguria*, vel *efflorescentiae cutis chronicae* producuntur. Ne in diagnosi arthritidis anomala errorem committamus, scrupulose exquirimus morbos praegressos, symptomata sub evolutione successiva morbi se manifestantia in conditione functionum organorum digestionis, chylificationis, cholopoësis et diuresis.

Facilior est diagnosis *arthritidis retrogradae*, dum scilicet sub insultu arthritico inflammatio articuli post qualemcumque influxum subito disparet, tunc frequentissime inflammations, profluvia et neuroses periculosissimae generantur.

§. 252.

Symptomatibus morbi solis raro sufficientibus ad natum individualem morbi definiendam in singulo casu arthritidis studemus eruere momenta pathogenetica. Dispositionem peculiarem requiri facile convincimur, dum ob-

servamus e hominibus, iisdem potentissimis nocentibus expositis, tantum pauciores arthritide coripi; non raro dispositio est haereditaria, congenita, et eminens subinde jam aetate teneriori se manifestat, quod tamen rarius accidit; adnotante Scudamore, e centum aegris tantum unicus erat infra decimum quartum annum aetatis; longe frequentius evolvitur morbus aetate virili provectione intra annum aetatis trigesimum et sexagesimum; qui annum aetatis sexagesimum attigit a symptomatibus anthritidis liber, et deinde liber manet. In genere viri majorem dispositionem habent in arthritidem manifestam, regularem, mulieres raro podagra, frequentius arthritide anomala, nervosa, subinde post cessationem fluxus catamenialis evolvenda divexantur. Docente Sydenham homines robusti, torosi, pectore amplio instructi habent dispositionem majorem in podagram, licet non raro arthritidem etiam macilentis infensam noscamus.

Causae excitantes diversae ab observatoribus adnotatae sunt: a plurimis accusatur vita lauta, otiosa, victus solus animalis, potus spirituosi, ideo frequenter divites, in primis si vitam antea activam commutent cum otiosa, huic morbo subjiciuntur. Intentio mentis major olim ut causa excitans frequentior, hodie rarius occurrit, licet multi ad classem eruditorum relati arthritide saepe exacerbantur, quod tamen minus ab intentione mentis, magis ab aliis causis, ab erroribus in dicta commissis, potibus spirituosis quantitate relative excessiva haustis, ab excessu in Venere, ab animi affectibus vehementioribus, ut ira, tristitia dependet. Dispositione eminenti in gradu praesente excitatur morbus etiam per refrigerium, in specie per frigus humidum, et secundum observatores nonnullos, ut Raimann, etiam per contagium ope exhalationis arthritici communicatum, quod tamen observationes hic factae minime probant.

Per influxum causarum excitantium dispositio praesens exaltatur, atque symptomatibus omnibus annunciantibus, in primis status organorum cavo abdominis inclusorum red-

ditur ita abnormis, ut in systemate venae portarum congestio sanguinis major contingat, plethoram abdominalem inducens, qua incremente contingit secretio abnormis bilis, urinae et perspirabilis, quarum excretio impeditur, sic processus totus reproductionis a statu normali recedit, autocratiq naturae statum normalem reducere nititur, sic excitatur febris arthritica et per eam producuntur inflammations articulorum arthriticae ut crises.

§. 253.

Autocratia naturae tantum in casibus rarissimis sufficit ad statum normalem reducendum, crisis manet imperfecta, et ideo symptomata morbi citius vel tardius revertuntur. Non raro aegri insultum dolorificum arthritidis regularis tantum semel per annum experiuntur, tunc per duas tres-ve septimanas doloribus excruciantur, sed insultu superato vitam agunt hilarem et activam, nec raro actatem attingunt seram. Nec tamen omnes hac felicitate fruuntur, morbus saepius revertens evadit continuus, et tunc per do-lores ipsos enervatur aeger, processus dynamico-organici redundunt semper magis abnormes, nutritio imminuitur, status cachecticus cum febri hectica, hydrope, morte lenta terminandus inducitur. Non raro articuli morbo affecti infunescunt, non raro in ligamentis, tendinibus, periostio, efformantur tumores jam minores, jam majores, duritiem ossis exhibentes, vocantur nodi, tophi arthritici, componuntur e phosphate calcis, subinde ex urate, et tales concretiones saepe sub forma minimorum crystallorum deponuntur in eutim, musculos, vasa sanguifera, viscera, ut in pulmones, cor, encephalum, in membranas ventriculii ac tubi intestinalis, in organa sensuum, atque per hanc reproductionem morbosam producuntur ossificationes, in oculis maculae, cataractae, glaucoma, amaurosis, in auribus difficilis auditus, cophosis, in organis digestionis et chylificationis dyspepsiae, in organis respirationis et circulationis asthma et angina pectoris, in systemate nervoso dolores, paralyses, labefactatio memoriae, melancholia,

fatuitas. Non raro synovia in bursis mucosis, in ligamentis capsularibus contenta evadit peculiari modo spissa, hinc partes antea separatae concrescunt, *ancylosis* vera generatur. Subinde ossa arthritide correpta inflammantur et suppuratione secuta evadunt cariosa, producuntque frequentissime in extrenitatibus *ulcera arthritica*.

Pericula maxima inducuntur per arthritidem retrogradam, quae excitat inflammations periculosissimas: meningitidem, bronchitidem, carditidem, gastritidem, enteritidem, vomitum pertinacem, diarrhoeam, choleram etc. quae pericula per therapiam rationalem saepe feliciter aperi possunt.

§. 254.

Opinio antiqua nec hodie derelicta, arthritidem esse morbum incurabilem, pro parte tantum vera est, dum nempe dispositio eminenti in gradu congenita, haec creditate acquisita est, dum morbus jam per seriem multorum annorum excurrens organismo habitualis redditus est, dum aeger influxui potentiarum nocentium se subtrahere haud potest, tunc morbus est incurabilis. Sed arthritis recens, simplex saepe therapiae rationali cedit, et irradicata haud amplius extirpanda, saltem mitigari et tolerabilis reddi potest. Antequam therapiam coordinamus, conamur diagnosis morbi individualis adaequatam construere, ut definiamus, sit-ne morbus praesens arthritis vera, cum dolores articulorum non raro provocentur per alios morbos, ut syphilidem, scorbutum et rheumatismum.

Dolores syphiliticos distinguimus ab arthriticis, quod evolutionem priorum praecedant morbi syphilitici topici: ulcera, bubones, subinde blennorrhagia syphilitica, nee statim compareant dolores, sed initio observentur in cuti efflorescentiae diversae: maculae, papulae, pustulae, squamae; post has comparet isthmitis in suppurationem ac exulcerationem desinens, tandem adjunguntur dolores, ab arthriticis etiam in eo diversi, quod rarius articulos, longe saepius reliquam substantiam ossis divexant, quod interdiu

sileant, tantum vesperi revertuntur saepe valde acerbi, versus diluculum iterum evanidi.

A doloribus scorbuticis dignosei possunt arthritici, quia ante evolutionem priorum jam accusat aeger breviori vel longiori tempore debilitatem muscularam magnam, laxitatem gingivarum peculiarem, quae intumescent, dolent et ad pressionem minimam sanguinem atrum resolutum fundunt, in pedibus plerumque oedematose tumidis comparant maculae, ecchymomata, petechiae, sub incremento morbi majori contingunt haemorrhagiae diversae, non raro sanguis in articulis effusus coagulatur, tumorem format durum, acerbe dolentem, qui tamen a dolore arthritico discerni potest per totum habitum aegri vere characteristicum.

Maxime difficultis est differentia arthritidis a rheumatismo, ideo etiam auctores celebres, ut J. P. Frank docuerunt, rheumatismum ab arthritide haud distinctum, unum eundemque morbum esse, quam tamen sententiam minime amplecti valemus, sed rationem habendo evolutionis morbi, symptomatum concomitantium, exituum et therapiae, cogimur asserere, morbos hos distinctos esse. Arthritis nempe in easibus tantum rarissimis dispositione congenita valde eminenti praesente observatur aetate teneriori, frequentissime invadit aetatem virilem proiectorem, et tunc dispositione existente, quomodocunque aeger refrigerium evitet, tamen in morbum incidit. Rheumatismus autem non raro etiam aetati teneriori infestus est et evitari omni aetate potest, si refrigerio subtractum fuerit corpus; nam causa unica rheumatismi est refrigerium, quod dispositione praesente etiam insultum arthriticum provocare potest, neque tamen causam ejus unicam constituit. Arthritis nunquam comparet subito, sanitate illaesa existente, sed longiori tempore praecedunt prodroma, frequentissime perturbationes functionum digestionis et chylificationis; rheumatismus vero hominem optima sanitatem gaudentem refrigerio admisso subito invadit. Arthritis saepe curae omni rebellis est, symptomatibus aliquo tempore silentibus facile iterum

revertitur; rheumatismus per therapiam rationalem frequentissime et cito sanatur, et causa excitante refrigerio evitato non amplius revertitur. Ex his concludimus, morbos hos binos ab invicem distinctos esse; potest diathesi arthritica praeditus simul corripi rheumatismo, et tunc morbus complicatus est molestior. Complicatur arthritis etiam cum aliis morbis, cum febribus diversis, inflammationibus topicis, profluviis, efflorescentiis cutaneis, retentionibus aliis, cachexiis ac neurosibus, in tali casu curam primo suscipimus morbi magis periculosi.

§. 255.

Contra arthritidem therapia adornari debet alia tempore insultus, alia post eum superatum. Insultus arthriticus, quemadmodum Sydenham fundate docet, est similis paroxysmo febrili, productus per autocratiam naturae scopo sanitatem restituendi. Ideo curam tunc eo dirigimus, ut energiam vitae in activitate moderata sustentemus, causas cunctas, quae organismum aut debilitare aut excretiones necessarias impedire possent, removemus; ideo commendamus aegro quietem animi, ut arceantur occasionses omnes experientia notae iram provocare valentes; temperatura externa sit moderate calida, nam calor major nocet irritando, frigus autem perspirationem cutis impediendo; ideo donec febris arthritica durat maxime convenit in lecto moderate calido manere; cibus et potus sit blandus, minime irritans; Sydenham nonnisi juscum tenue ex avena concessit, interim aegri nostri bene ferunt juscum tenue gelatinosum e carne molli tenera, hordeo excorticato, oryza cum pasta tenui, panatella, fructus horrei dulces et blande acidiusculos, olera, radices dulces et lac. Durante febri arthritica dissuademus carnem, omnem cibum durum, pinguem et aromate conditum, pro potu commendamus aquam, qui eam respuant, utantur decocto emollienti althaeae, malvae, seminum hordei, emulsione tenui vel decocto radicis graminis.

Attentio praecipua dirigi debet sub insultu in excretiones omnes habituales, quarum retentio morbi symptomata auget; saepe pharmaca peculiaria nulla requiruntur, febri mitiore existente potus aquae simplicis vel decocta emollientia satis promovent excretiones; si tamen alvus obstipa est, commendamus pruna cocta vel saccharum aqua solutum, ad perspirationem cutis moderatam promovendam infusum tenue florum sambuci vel tiliae omni tertia hora parva phiala coffeacea hauriatur; pars dolens obtegatur linteo molli, sicco, moderate calido, fumo sacchari vel baecarum juniperi, vel gummi-resinac, ut benzoes, storacis, elemi vel succini imbuto, delicatis suademus pro tegmine partis dolentis pellem leporinam vel cygni, minus delicatis stupam cannabis.

§. 256.

Methodus mitior nunc laudata haud mitigat omnes insultus arthriticos, hi subinde gravibus symptomatibus stipati peculiarem therapiam requirunt. Non raro ob constitutionem aegri individualē robustam, ob potentiarum nocentium influxum febris provocatur intensa, ut symptomata evolvantur non tantum inflammationis articularis specificae, sed etiam carditidis, gastro-enteritidis vel menengitidis cerebralis, et in tali casu methodus anti-phlogistica strictissima est indicata; propterea Gilibert commendat in omni insultu arthritico venae-sectiones, Brouttai s. vero largiores hirudinum applicationes. Neque tamen remedium illud potens sub insultu omni arthritico securum est, quod jam Sydenham monuit, et observationes recentiores probant, non una-vice post sanguinis evacuationem superfluam arthritidem retro-gradam periculosisimam locum habuisse; ideo in plurimis casibus tantum methodus anti-phlogistica mitior adhibenda est. Commandantur diversa remedia, quorum cognitio necessaria est, ne incongrue adhibeantur; sic Gianini laudat fomentationem et lotionem partis arthriticae cum aqua frigida, Barthéz commendat potum aquae frigidae; charactere morbi mitiore inflam-

matorio existente remedium potuit levamen adferre, nec tamen id commendamus, cum facile perspiratio cutis ad crism salutarem necessaria supprimi, et sic arthritis retrograda provocari posset. Cadet de Vaux commendat et contra rheumatismum chronicum, et contra arthritidem aquam calidam, ut aeger omni quadrante horae sex uncias hauriat, donec doses tales quadraginta octo ingessisset; referuntur quidem historiae aegrorum arthritide chronicis aliis pharmacis rebelli affectorum, post usum aquae calidae sudore largissimo subsecuto sanatorum, sed complures simul adnotati fuerunt casus, in quibus pharmacum hoc aegros conjectit in statum miserrimum, imo etiam mortem subitaneam induxit. Chalmers repetit omnia symptomata arthritidis a saburra, ideo commendat emetica et purgantia. Musgrave docet, acrimoniam arthriticam ex atrabile generatam in massam humorum receptam excitare febrim arthriticam, in articulis autem dolores pertinaces, ideo curam morbi perfici evacuatione atraebilis, quae obtinetur per drastica, ut aloë, colocynthidem, helleborum, elaterium. Haec quoque remedia subinde innocua, in pluribus tamen casibus noxia fuerunt; in primis Bronssais multis observationibus demonstrat noxios effectus emeticorum et purgantium, sub insultu arthritico exhibitorum, gastro-enteritides periculosissimas provocantium. Nec tamen haec sententia sine exceptione omni vera est; nam observatio casta docet, in arthriticis non paucis in victu saepe excedentibus symptomata saburrae sub ipso insultu evolvi, per ea morbi phænomena exaltari ita, ut nonnunquam emetica, saepius purgantia indicata sint, sed tantum blandiora anti-phlogistica; frequentissime praescribimus decoctum radicis graminis, vel taraxaci cum sulfate sodas vel kali vel magnesiae, vel aquam Seidschützensem aut Pülnensem, quae purgantia subinde per plures dies, imo septimanas manifesto cum emolumento continuamus.

§. 257.

Methodus anti-phlogistica mitior in plurimis casibus sa-
lutaris subinde scopo hand respondet, symptomata morbi po-
tius augmentur, quia character dynamicus morbi potius asthe-
nicus in gradu jam mitiori, jam majori est; ideo ad dolores,
quibus aeger excruciatur mitigandos, narcotica indicata
sunt, ut extractum hyoscyami, cicutae, aconiti, opium jam
a Sydenham multum laudatum, quia tamen post usum
ejus observamus in multis aegris alvum retineri, congestio-
nen in caput provocari, ideo ab uso ejus abstinemus. Saepe
sufficiunt blandissinie stimulantia, ut infusum florum sam-
buci, tiliae, chamomillae vulgaris, foliorum aurantiorum,
herbae melissae, menthae crispa, quibus non raro addimus
spiritum Mindereri, vel spiritum nitri dulcem, vel salis dul-
cem, vel liquorem auodynum mineralēm Hoffmanni. Gradu
debilitatis majori praesente commendamus camphoram dosi
parva, subinde praeparata ammoniae, ut spiritum cornu
cervi simplicem vel succinatum, tinturam castorei. Non
raro, testante Quarini, optimum effectum exerunt flores
sulfuris dosi moderata, hauriendo post singulam infusum
florum sambuci tepidum, quo remedio blando agitur contra
retentionem alvi, et diaphoresis promovetur; nonnullis hoc
scopo inseruit decoctum rasurae ligni guajaci vel gummif-
resina guajaci, in pulvere aut pilulis, vel tinctura guajaci,
cujus guttae 20—60 sumuntur in cochleari uno aquae,
mane et vesperi. Dum aeger sub insultu doloribus summis
exagitatur, symptomatibus inflammationis energiae nullis
praesentibus, ad hypercinesiam mitigandam efficacissimum
remedium est opium, adultis pro nycthemero granum semis,
unum exhibendum, quod remedium post Sydenham ma-
ximis laudibus effert Osterdinger, qui arthritidem do-
cet esse febrim intermittentem larvatam vel comitatam,
suedet, ut sub insultu podagrico tempore dolorum vehemen-
tium vesperi exhibeantur omni quadrante horae opii granum
unum, duo usque quinque, donec dolores mitigati fuerint,
et aeger in somnum pacatum inciderit, sequenti die sumat

aeger corticem cinchonae optimum, per nycthemerum unciam semis usque drachmas sex, et paucis his pharmacis intra paucos dies tollitur insultus molestus. Methodus haec summa cum cautela adhiberi debet, nam observationes tristes docuerunt, aegros apoplectice extinctos fuisse. Fothergill arthritidem omnem repetebat a suppressione perspirationis, ideo quam maxime commendavit opium cum ipecacuanha, quod remedium dosi moderata porrectum saepe est eximum. In Gallia, Anglia et Germania a practicis laudatur areanum, sub nomine *Eau médicale de Husson*, cuius guttae 30—60 exhibentur vesperi, sequitur vomitus, diarrhoea, in plurimis sudor largus sub somno, et post usum remedii per aliquot dies repetitum insultus cessat. Ex opinione medicorum Anglorum remedium compositum est e vino Hispanicō, tinctura opii simplicis, tinctura hellebori et tinctura seminum colchici autumnalis, quae ultima sola in nonnullis casibus proficia fuit, summendo guttas 15 in cochleari aquae bis, ter-ve per diem.

Externa quoque remedia commendata sunt, inter haec in primis cataplasma anti-arthritis a Pradier venditum, quod tamen famam tantum ephemoram habuit; praeter calorem moderatum, recte docente Sydenham, alia remedia externa sub insultu arthritico inutilia et saepe noxia sunt.

Recette du remède contre la goutte, par M. Pradier (Journal de médecine, 1813, févr. p. 200.)

§. 258.

Superato insultu cura absoluta non est, sanitas per morbum revertentem citius vel tardius turbatur, nisi cura radicalis suscepta fuerit, quem in finem indicationem ulteriorem desumimus a conditione energiae processum morbosum specificum sustentante. Subinde ob constitutionem individualem aegri et ob influxum potentiarum nocentium sustentatur status chronicus subinflammatorius, atque tunc methodus antiphlogistica mitior longiori tempore continuari debet, quod in primis urgent Broussais et Kreyzig, quorum prior arthritidem omnem a gastro-enteritide, posterior ab inflam-

matione chronica vasorum capillarium repetit. Observationes tamen castae docuerunt, methodum anti-phlogisticam non raro noxiā esse, quod in proprio morbo experti sunt Sydenham et I. Brown; nam arthritis saepē sustentatur per debilitatem, in primis organorum digestionis et chylificationis, qua prae sente generatur saburra acida; docente Idele in ipso sanguine praedominat acidum phosphoricum, in urina minori quantitate secretum, ideo subinde proficia sunt alcalia. Meliori effectu adhibentur amara stomachica, ut herba centaurei minoris, trifolii fibrini, cardui benedicti, millefolii, radix gentianae, lignum quassiae, in majori gradu debilitatis amaro-aromatica, ut radix acori, cortex aurantiorum, cortex Winteranus, cortex cassiae ligneae, cortex cinnamomi, piper, nux moschata, gummi-resina ammoniacum, guajacum, praeparata martis, cortex cinchonae. In Anglia magnam celebritatem sibi meruit in podagra curanda pulvis Ducis Portlandi, qui componitur e pulvere subtilissimo radicis aristolochiae rotundae, gentianae, herbae et summitatum chamaedrios, chamaepitys et centaureae minoris anatica quantitate; neger sunisit e pulvere per tres menses quotidie mane drachmam unam, dein per sequentes tres menses scrupulos duos, tandem per medium annum drachmam semis, atque referente Cullen non pauci usu pulveris per annum continuato ab arthritide liberati, plures tamen dein apoplectice extincti sunt; unde patet remedia corroborantia summa cum cautela adhibenda esse. Subinde contra arthritidem cum debilitate connexam effectu bono adhibitum fuit oleum destillatum sabinae, ad guttas duas—quatuor, bis terve per diem cum infuso radicis acori.

Ut therapia hue usque laudata ad scopum deducat, ratio peculiaris haberi debet excretionum omnium, in primis cutis, alvi et urinae, quarum retentio ad arthritidem et generandam et sustentandam multum confert, ideo commendantur contra arthritidem flores sulfuris, praeparata antimonii, ut antimonium crudum, tartarus emeticus, sulfur duratus antimonii, kermes mineralis, guajacum. In Germania adhibentur pilulae paratae ex oleo empyreumatico. Ligni

fossilis, antimonii crudi ana uncia una, olibani drachmis duabus, pulveris stipitum dulcamarae drachmis sex, e qui-
bus exacte mixtis parantur pilulae granorum duorum, su-
munturque per diem quatuor, sex usque decem. Continuato usu
per tres, sex menses usque annum unum, subinde annos
plures, morbus disparet.

Maxime celebrantur in curanda arthritide thermae; non raro jam balneum ex aqua tepida proficuum est, sed effectus majores observantur a thermis sulfureis, salinis et alcalinis; ita effectu salutari adhibentur in Hungaria ther-
mae Budenses, Magno-Varadienses, Trencsinienses, Szliá-
caenses, Szklenóenses, Mehadienses, in primis autem Pósté-
nyenses, in Slavonia Daruvárienses, in Croatia Stubniczen-
ses, in Austria Badenses, in Bohemia Töpliczienses, in re-
liqua Germania Badenses, Wiesbadenses, Aquisgranenses,
etc. quae partim adhibentur ut balnea, partim hauriuntur
et sic promovendo tam perspirationem cutis, quam urinae
secretionem et excretionem conferunt ad sanandam arthriti-
dem. Illis qui iter ad thermas laudatas suscipere hand pos-
sunt, commendamus balnea domestica; in sufficienti quan-
titate aquae tepidae solvimus sulfureti lixivae unciam unam
usque quatuor; gradu debilitatis majori praesente virtutem
balneorum sulfureorum exaltamus addito alumine ac globu-
lis martialibus. Ita etiam post praemissum usum thermarum
sulfurearum naturalium proficia sunt balnea naturalia robo-
ranta, ut aluminosa Paradini, martialia Wichnyae. Góden
maxime commendat balneum ex decocto mali, libras de-
cem usque viginti pro uno balneo, enjus utilitas et hic ob-
servata fuit. Subinde aliis incassum adhibitis per balneum
animale e nido formicarum paratum morbus molestus devictus
est. Speciem et numerum balnei conamur accomodare in-
tensitati morbi; non raro sufficiunt balnea triginta, subinde
requiruntur sexaginta, imo centum; in genere sufficit quo-
tidie semel tantum adhibere balneum, pauci tantum perferunt
quotidie duo balnea; interest post balneum decumbere,
utim panno sicco aspero vel setaceo fricare, in casu con-
tracturarum oleo vel butyro inungere, in casu debilitatis
majoris linimenta stimulantia adhibere.

Subinde balnea sola sufficiunt ad curam morbi perficiendam, saepe tamen sub usu eorum infaretus perdurant, alvi et urinae evacuationes haud premoventur; atque tunc adhiberi debent solventia, miiora purgantia ac diuretica simul, ut acidulae Selteranae, Egeranae, Marienbadenses, Rohitsenses, aquae calidae thermarum Carolinarum; non minori efficacia gaudent in Hungaria acidulae Füredienses, Ránkenses, Szalatnyenses et Parádienses; alvo obstipa praesento recurrimus ad aquas Seidschützenses vel Pülnaenses. Non raro verno tempore utiliter adhibentur succi recentes herbae et radicis taraxaci, cerefolii, sumariae, extracta taraxaci, fumariae, saponariae, cardui benedicti, carbonas lixivae, sodae, gummi-resina ammoniacum, guajacum, rheum, aloë etc.

§. 259.

Pharmacæ effectu salutari destituuntur, nisi simul vitae regimen congruum observatum fuerit, ideo aegrum admoneamus, ut refrigerium evitet, ne functio cutis normalis turbetur; ideo jam in autumno debet entim vestitu laneo tegere, eunque tantum aestate deponere, sed et func horis matutinis ac vespertinis vestitus sit calidior; quantitas cibi sit semper viribus ventriculi respoudens, major vel qualitate peccans, ut cibus durus, salsus, pinguis, excessive aromaticus vel spirituosus noxios effectus saepe manifestat; maxime convenient cibi blandi, nec tamen soli vegetabiles, sed animalibus mixti; subinde diaeta lactea sola plurimum praestitit. Pro potu optima est aqua fontis, nec tamen spirituosa omnibus deneganda, non paucis arthriticis et cerevisia bona et vinum antiquum moderate sumtum curam adjuvant; aliqui saltē a vīno vel modica quantitate ingesto experintur gastralgias, saburram acidam, talibus et diathesi phlogistica praeditis dissuademus spirituosa. Motum corporis excessivum nunquam commendamus arthriticis, sed motus moderati, ut deambulatio, veefio currū vel equo, labores mechanici in aëre puro, ut horto suscepti, energiam moderate suscitando, excretiones omnes rite promovendo, conducunt;

sed tamen etiam quies necessaria est, somnus sex septem-re horarum plurimis sufficit, per somnum diu protractum in primis in lecto molli calido angetur plethora abdominalis. Simul vitari debent causae cunctae organismum quoquo modo debilitare valentes, ut animi affectus ingrati, ira, tristitia, adstrictio mentis nimia, jejunia, evacuationes excessivae, in primis succi genitalis.

§. 260.

Peculiarem attentionem requirit arthritis retrogradæ, dum inflammatione arthritica e partibus externis subito evanida jam morbus alter acutus; ut inflammatio topica, vel neurosis periculosissima, vel morbus chronicus evolvitur. Tunc indicationem curae primam desumimus a natura individuali morbi metastatici; contra inflammationem acutam intensam adhibemus methodum anti-phlogisticam strictissimam: sanguinis evacuationem, saepius topicalam, subinde et universalem. Interim meminisse oportet, jam et Sydenhamum adnotasse, et per observatores recentissimos comprobatum esse, sanguinis evacuationem saepe noxiam, imo letalem fuisse; symptomata enim per arthritidem retrogradam provocata sunt saepe tantum nervosa, et tunc indicata sunt stimulantia, jam blandiora, ut infusum florum sambuci, tiliae, lavendulae, foliorum aurantiorum, herbae melissæ, menthae, jam fortiora, ut liquores aetherei, spiritus cornu cervi, in primis autem opium, cuius tinturae guttae sex usque decem exhibentur omni media, omni hora, donec symptoma molestum remotum est. Optime exhibetur opium in vino Tokajensi aut alio vino bono. Saepe necessaria est simul irritatio partis, in qua antea arthritis adfuit, ideo frictionem, rubefacientia, ut radicem cochleariae armóraciae rasam, raphanum, cepam assatam cum sale communi, pulverem capsici annui, vel piperis, sinapismum, emplastrum cantharidum, in morbo chronicø unguentum vel emplastrum antimoniale, fonticulos, subinde moxam et semicupia tepida adhibemus.